DIALOGVS,

De Imitatione Ciceroniana, aduersus [redacted], pro Christophoro Longolio.

VIRTVTE DVCE,




COMITE FORVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,

M. D. XXXV.

Iste liber non est legi etiam deleto nomine ... fratre
... Dominicis

TVS GVLIELMO
SCAEVAE, S.





BERRIMVM ad te ſcribendi argumentum dum undiquaque colligo, & diutius, quàm ſperabas, ſileo, tuam forte de meo in te amore atq; ſingulari beneuolentia opinionem mirum in modum fallo, neque tardi aut parum diligentis nomen non ſubeo: ſed ſi quã iſtiuſmodi ſuſpicionem tibi mea tam longa taciturnitate commoui, diligentiam adhibebo, illam ut quam primum deleam, perficiamq; profecto, mei ut ſilentij uſuram crebritate poſthac & copioſo literarum ſermone cumulatè ſarciam. Iam primùm rerum te mearum certiorem factum uolo. Idib. Octobr. Lutetiam ueni, nulla neque corporis offenſione, neq; moleſtia. Atq; quoniam id à me maxime expetere te ſuſpicor, ut quid agam, quantoq; otio ſtudia mea & colam & tuear, quàm familiariſsime ſcribam, hoc ipſum principiò explanabo, tum, quid hic geratur, per me ſcies.

luti nouo amore incenſus, literas amplectar. Plurima & commentor, & ſcribo, quorum tibi expectationem nullam antea cõmouebo, quàm ea prȩſtare me poſſe ſentiam. Dialogum de Imitatione Ciceroniana aduerſus [redacted] ad te mitto, quem Gryphio reddes. Amabò te, illum quàm caſtigatiſsimè excudendum cura, necꝫ committe, ut tuum mihi officium in ea re deſit, quod nunquam defuit. Quæ [redacted], ut numen, colit, & Ciceroni antefert imperita triuialium grammaticorũ turba, uix in me conuitijs abſtinebit. Senectute quocꝫ penè deſipientem ſenem, audaces adoleſcentis conatus pro ueteri ſua & perpetua ſcurrilitate riſurum non dubito. Sed ſcurræ riſu facilius nihil à nobis fertur, necꝫ à ſilicernio dẽtibus defectò morſum aſperiorẽ timemus. Atcꝫ qui me inſolentiæ accuſabunt, & conuitijs obruent, [redacted] quòd oppugnem, uideant hoc prius, quo [redacted] modo, ab inſolentis, & maledici nomine tueantur, qui Ciceronis exiſtimationi illudere, qui Ciceronis imitationi ſtudentes inſectari auſus eſt. Meis linguæ Latinæ cõmentarijs ex integro deſcribendis horas ueſpertinas tribuo, quos ad calendas, plurimùm, Ianuarias cõfecero. Reliquum hyemis tempus in altero orationũ & epiſtolarũ mearum uolumine augendo conſumam. Tanta non pollicerer, id niſi decreuiſſem, docturum me aliquãdo, quid ſit cupide & ſtudioſe in literis uerſari,

Commentarij linguæ Latinæ.

sari,quid'ue laborem pro nominis immortalitate su-bire,desidiam peius morte odisse. In studijs sine ulla interpellatione uersor, otioq; tanto fruor, quantum semper optaui, sperare uisus sum certe nunquam. Vnum est hoc mihi in præsentia & ab angoribus atque solicitudinum concursu, & à fortunæ iniurijs profugium, doctrina & literæ: quibus antea, dum per otium licuit, usus sum semper, utar postea uel negotijs omnibus implicatus. Nimirum me ornare iam cœperunt, & sempiternam mihi spondent famæ nominisq; memoriam, quam ne quidem uel cum Crassi opibus, uel cum Varronis thesauris, uel cum omnibus beatorum omnium delicijs commutem. In hoc totus sum, ut me non solum uixisse, quod nobis cum brutis commune est, sed uirtutis studiosum uixisse, posteritas intelligat. Id quod qui ridebunt, & me insanire arbitrabuntur, uoluptatibus secum interituris liquescant, & fluxis bonis cumulentur, per me licet: ego uirtutem suspiciam & colam, quæ nos tenebris mortis eximit: eam unam perpetuò sequar, neque ab illa, nisi extinctus, abducar. Verùm quantum in literis studio, labore, diligentiaq; consequar, id omne ad arbitrium tuum conferam, ut scripta nostra uel comprimi iubeas, uel proferenda censeas, qui me neque perpetuo iacêre uelis, neque præmaturo studiorum fructu, & leuiori, quàm certiori laude celebrari cupias. Ego meum puto esse, dum fert ætas, otijq; abundantia poscit, omnia in literis animose conari, ea

tantum edere, quæ cum aliorum doctissimorum iudi
cio, tum tuo, sine assentatione comprobari intelligã.
Immensus iste studiorum amor uetat mehercule, pe
dem domo, tanquam literis alligatus, ne usquam effe
ram. Quare factum est, tuum ut Aemilium nondum
inuiserim, tuas tantum literas ei reddendas curarim:
neque Budæum, quod mihi forte uitio uerti possit,
adhuc salutarim. Illum primo quoque tempore con
ueniam, huic operam meam omnem studiumq́, præ
sens breui deferam. Iam Lutetiæ acta rumoresq́ ex
pectas. Ad omnia igitur sic habeto. Longum est, &
scriptu difficile, quantam hic rerum perturbationem
offendi. In uulgi sermonibus aliud planè nihil, præ
ter factas Christo à Lutheranis iniurias. Dissipauit
enim conuitiosa quędam in cultum Christianum stul
ta ista & gloriæ exitiosæ appetens natio, quæ inui
diam, qua hactenus laborauit, uehementius commo
uerunt. Itaque cum ex infima plebis fece, tum ex am
plissimo mercatorum ordine, erroris Lutherani suspi
cione perstricti multi in carcerem coniecti sunt. Ista
rum tragœdiarum spectatorem me præbeo, & alio
rum partim uicem doleo casumq́ miseror, partim
stultitiam rideo, qui sibi capitale periculum ridicula
quadam pertinacia & intolerabili obstinatione con
flant. Tu ad me de tuis rebus quàm creberrimè, &
quàm uberrimè scribes, quando & mea, & aliena ad
te tam accuratè perscribo. Quantum officij sustineas,
& quantopere tibi elaborandum sit, ut me expleas
scri

scribendo, uidere te nisi existimarem, pluribus uerbis & rogarem, & obtestarer, desiderio expectationiq; meæ ne deesses: at officiosissimum hominem ad officium no[illegible]bor, neque sua sponte currentem incitabo, expectabo sine dubitatione abs te non pusillas aliquas literas, sed uol[illegible]um tuarum in primis, tum omnium, quæ Lugduni geruntur, plenissimum. Id uero scribere ne prætermitte, qui nobis æqui sint, qui iniqui ob uulgatam illam orationum nostrarum editionem. Tholosanas furias nihildum ad sanitatem rediisse, & multa in me scelerate moliri audio. Quod nisi me lacessere desinant, irritabunt quiescentem, cuius concitati morsus uix ferent postea, efficiamq; stili acerbitate[illegible] insaniæ suæ pœniteat. Sed de iis pauca, ne sola hostium commemoratio, stomachum mihi nolenti faciat. Vosellijs tuis uiris humanissimis & literatorum amantissimis, Furnerioq; nostro, amico suauissimo salutem à me plurimam uelim dicas. Eos enim omnes unice diligo, charosq; habeo. Vale. Lutetiæ, quinto Idus Nouembris. *Tholosanæ furiæ.*

1534.

AD LECTOREM.

Ne hoc nescias, Lector, omnia penè, quæ Morus disputat, & loquitur, ex Ciceroniano [redacted] dialogo assumpta sunt. Cuius te rei certiorem facere uisum est, ne [redacted] sui dissimilem, id est, stilo modò inflatiore, modò flaccido esse putes.

Vale.



Durior est spectatę uirtutis, quàm incognitæ conditio.

De Imitatione Ciceroniana, aduersus [redacted], pro
Christophoro Longolio,

AD

IOANNEM LANGIACVM

Episcopum Lemouicensem, uirum eloquentissimum, & eloquentium studiosissimum.

PERSONAE,

SIMON VILLANOVANVS.
THOMAS MORVS.



DERAM coràm certè præsens, quum Symoni Villanouano oblatus est Patauij à Thoma Moro Ciceronianus [redacted] dialogus. Legentis uultum perlibenter usq; eo tuli, dum in transcursu peruolutum poneret. Sermoni porrò interfui, qui ab illo cum Moro tum de [redacted], tum de Ciceronis imita-

poſſe uideor, qui de eloquentia, & [illegible]
ratione exactiſsimè politiſsimeq́ʒ diſſerere potuiſſet,
ab illo ſi diſcedamus, non extitiſſe noſtra memoria.
Tibi uero & ſtudio tanto poſtulanti, & precibus obſecranti, quæ in hoc genere diſputabat, animo forte & cogitatione à me comprehenſa atque repetita, utcunquè referre poſsim: hominis in diſputando grauitatem, acumen, elegantiamq́ʒ imitari non facile queam, aſſequi ſanè nullo modo. Quare id tua apud me gratia autoritateq́ʒ dum impetras, atquè efficis, cuius mihi exiſtimatio famaq́ʒ chara eſt & iucunda, illius ut de imitatione diſputationem literis mandare uelim, amici memoriam officioſè tantum colo, laudibus ex ſententia non reſpondeo: nec pro rara & eximia doctrina ſua, ac mirabili eloquentiæ ubertate, ſed pro tenui mea & uulgari ſcribendi facultate diſceptantem in ſcænam adduco. Rem ſi minus gratam Eraſmo faciemus, ſuſtinebit, qui omnia in omneis liberè ſemper ſcribere nullo nequè loco neque tempore dubitauit, eandem nos ſtili licentiam indulgentiamq́ʒ uſurpare. Sed iam perſonę gradum in ſcænam faciunt, tu congredientes intuere, & colloquentes exaudi, ac rectius probabiliusq́ʒ diſſerenti auſculta.

ITAQ



TAQVE uorato curſim [redacted] Dialogo, dolore grauiter affectus Villanouanus, edito poſt multam cogitationem ſimulato riſu (ut indignantium eſt) ſic nos mox à prandio ſeparatim colloquentes interpellat. Non ſatis (inquit) habet Batauus iſte ſcriptor à uera Germanaq; eloquẽtia & ſcienter & prudenter perpetuò abhorrere, omniaq; ſuo more fundere, niſi Ciceronianæ lectioni ſtudioſius incumbentem iuuentutem, inani ſua & ridenda uerborum uolubilitate retardare conetur, atq; adeo quod aſſequi per ingenij imbecillitatem & leuitatem, illi non datum eſt, ſtomachoſè modò deſpiciat, deſpiciendumq; ſuadeat. Incluſum quoquè hactenus & ſeruatum iracundè dolorem, quem ex iuuenili neſcio qua Longolij epiſtola iampridẽ accepit, ulciſci ſe animoſè, nec ſine immortali gloria, & ſingulari exiſtimationis acceſsione arbitratur, ſi, quem uiuum adoriri, nedum offendere pungere'ue timuit, mortuum impudenter oblatret, atq; perfidioſè mordeat. Occulto & recondito odio, doctis tamen non ignoto incenſus, uita functum lacerat, quem accepto uulnere, grauius ne inferretur, gratia relata tam ſtudioſè placauit, quàm diligenter cauit, præſentem ne laceſſeret, congreſſu omnino impar, & uiribus ad certamen, quàm ſatis eſt, debilior. Ac certè Longolij ſtudiorum rationem ridere non ſolum maledico uiſum eſt: pro ueteri ſua & perpetua ſcurrilitate religioſum adoleſcentis

[redacted] odium in Longoliū epiſtola quadam conflatum eſt, qua Longolius Budæum [redacted] antepoanit.

obitum nænijs perstrinxit, quod in diui Francisci familiam ad extremum adoptari uoluisset, eiusq́ ornatu sepeliri. Sic iniqui & maleuolentia ieiuni inanisq́ animi documentum præbet inuidia disruptus senex, auditq́ pessimè, quo nomine bene audire studuit. Neque mehercule Longolij studia iure non laudare possit, quæ tantam illi in dicendo laudem gloriamq́ attulere: neque Ciceronem sequentes à tam honesto cursu, suo consilio reuocare: nec maiorem celebrioremúe eloquentiæ famam sibi colligere, qui libens & ad metas hæret, & humi repere, non altius tolli, pulchrum atquè amplum ducit. Sed Morum summa cum [redacted] amicitia coniunctum, huc accersi libet, ut quem accuratius legi prohibuit indignatio, uetuitq́ recordatio quæsiti in Longolium risus, dialogum nobis à principio recitet, [redacted] defensionem suscipiat, si quid occurret audiendo, quod uel oppugnandum, uel conuellendum putemus. Regustanti enim mihi non dubito, plurima uel leuiora, uel absurdiora uisum iri, nisi me fallit quorundã iam lectorum memoria. Ad hanc Villanouani orationem accersitur subito Morus. Domum intromisso præsto est frequens adolescentium cohors, quæ Villanouano, propter præstabilis illius doctrinæ atque eloquentiæ magnitudinem & celebritatem, perpetuo assidebat. Amicè inter se, ut fert uirorum humaniorum & liberius educatorum usus, consalutant. Tum Moro primum gratias ob acceptum

ptum munus uerbis plurimis & ampliſsimis Villa-
nouanus agit, ſuaqꝫ benignè defert atquè prolixè
pollicetur. Vtcunque dum inter ſe perpetuant, produ-
citur longius ſermo, ueniunt in ambulationem, &
ſpatia plura domi faciunt. At Morus: Nihildum
me iuuat inambulatio, de uia feſſum & languentem,
& equi iactatione conturbatum. Sed quid impedit,
quando ſudum eſt, & nos in agros uocat læta iſta
terræ facies, floribus nouis obſitæ, quin aliquò pro-
ximè urbem exeamus, & ſub quercu ramis diffuſa
nos in herbam abijciamus, uoluptatem literatis non
indignam capturi, ac iucundè interim confabulatu-
ri? Facilè in eam ſententiam ab omnibus itur: oppi-
do confeſtim exeunt, locum occupant lata umbra cõ
ueſtitum, & arboribus innixi conſident. Tum Villa-
nouanus, ut otij & deſidiæ fugitans erat, & laboris
exercitationiſqꝫ maiorem in modum amans: Capiet
nos (inquit) protinus loci huius quantumuis amœni
ſatietas, adrepetqꝫ faſtidium, quod ſolet eſſe uolu- Faſtidium uolu-
ptati finitimum, niſi ſermo inijciatur, quo hic diei reli ptati finitimum.
quum traducamus: uix enim ſol pomeridianos tra-
ctus præteruectus eſt, neqꝫ ante horam octauã præci
pitabit. Sermonẽ igitur unus aliquis inducat, qui &
tempori traducẽdo longus ſit ſatis, nec iucũditate fru
ctuqꝫ careat. Nimirum animũ fructuoſa ali uoluptate
par eſt, non oculos tantum optatis ſpectaculis paſci.
Villanouani conſilio ut prudentiſsimo ſic honeſtiſsi-
mo aſſentiuntur omnes, ſermoniſqꝫ ordiendi primas

illi deferunt. Quorum quidem hortatu & ſuaſu perpulſus, ita Morum ad colloquendum appellat: Noui, More, quanta tibi ſit cum [redacted] & amicitia & neceſsitudo: neque certe dubium habeo, quo ſtudio, qua'ue beneuolentia illius exiſtimationi & dignitati ſuffragêre. Quamobrem tuum huc aduentum tibi in primis gratulor, ut [redacted] amicus, officium amico, dum à me oppugnetur, præſtes: & mihi ſummopere gaudeo, amico præſtandi quoque officij occaſionem nactus, amico inquam, licet frigide laudato, non diſsimulanter tamen ab [redacted] læſo. MOR. Iam animo cerno, quem commemores, Longolius is ipſe eſt. VILL. Probè uero: Longolius eſt, quo nemo mihi neque amicior, neque charior unquam fuit. Copulauit nos ſummum amicitiæ uinculum, morum ſimilitudo, & ſtudiorum ſocietas. Quid, niſi labefactatam mortui dignitatem, rebus quibuſcunque opus eſt, non tuendam ſolum, ſed augendam ſuſcipiam? Non faciam, ut à meis officijs deſeratur, neglectus'ue iaceat. Non mobili erga illum animo ero, ſed uoluntate ita potius ſtabili, ut morte ipſa, quæ ab altero alterum abſtraxit, coniunctiorem conſtantioremque, non infirmiorem factam amicitiam noſtram doceam. Tu [redacted] beneuolentiam operamque tuam naua: ego, ut mea in Longolium ſtudia omnia conſtent, elaborabo, ac cuius uiuam adhuc memoriam tenemus, hanc, quantum potero, immortalem reddam, & ab obliuione hominum atque à ſilentio uindicabo.

Villanouanus Lōgolij amicus.

bo. MOR. At quid tuo patrocinio indiget, qui nullam accepit iniuriam, neque ab Eraſmo uel leuiter perſtrictus eſt [redacted]gnificè contrà, honorificeq; laudatus? VILL. Perſpectum mihi eſt aſtutum Eraſmi ingenium. Reliquit Longolio, quod adimi non poteſt: quæ ſummo iure detrahi forte poſsint, cupidè certè aufert. Sed ne, dum i[redacted]r nos incaleſcit diſceptatio, noſtra oratio quòquò uerſum euagetur, excurrat'ue ſine modo longius, ſic te habere uelim: primùm Longolij cauſæ enixè inſeruire mihi certum eſſe. Deinde, quod ſibi ſuo uelut iure aſſumit [redacted] Longolio'ne utilior, aut acceptior eloquentiæ ſtudioſis ſit, colligam. Poſtremo in eo uerſabor, ut Ciceronem unum imitandum & oſtendam, & probem: ſed quemadmodum nos ad illum compona[redacted] planum antea faciam. Etiam, quibus ab [redacted]mo uitijs notatur Tullius, ea ab illo depellam atquè dimouebo, diſcuſſo, quantum neceſſe erit, Eraſmi dialogo. Nunc quoniam huc ad animi remiſsionem conceſsimus, & oblectationis fructus eſt non contentio & commotior altercatio, ſed animi relaxatio, ex compoſito inter nos conueniat, ut quietè & placatè diſputemus, non ſophiſtarum more, intemperantius uociferemur. Iam hic præſens animo eſto, qui corpore ades. MOR. Equidem animo præſens ero, & quæ propoſuiſti, non inuitus audiam. Magna me tenet tui de imitatione iudicij expectatio: at me maior habet admiratio, quid tibi in mentem uenerit, ut

Aſtutum [redacted] conſilium in Longolio laude ſpoliando.

Longolij gloriam ab Eraſmo uiolatam dicas, tot ornati laudibus. VILL. Longolio quid Eraſmus tribuat, quid item detrahat, memoriæ teneo: quod in laude aliqua poni poſsit, re uera coactus aſsignat, quod omne punctum ferat, & ab omni laude felix ſit, Longolio manere, iniquo animo grauiterq́ patitur. Atqui tam uaria ſua & inconſtanti de longolio ſententia, famam illius non obterit, iudicis parum æqui, & odium non omnino tegentis omnibus ſuſpicionem facit. Ex tam diuerſo iudicio ſubodorari licet, uel coniectura protinus aſſequi, Eraſmum quid adduxerit, ut Ciceronianum dialogum ſcriberet. Verum id poſtea uberius. Nunc nihil cauſæ eſt, quare recenſere ſuperſedeas, quas Longolio laudes Eraſmus aſpergit, ego quicquid trāsfundit, inuidia redundare probabo, & amicè quę tu pugnas tributa, obtrectationis ſignificatione de repente eleuari immutariq́ cognoſces: ſed quid de Longolio tandem? MOR. Plurimum ſanè laudis tulit Longolius. VILL. Amica & honorifica prædicatio. MOR. At nimio emptum. VILL. Exiſtit iam ſummo capite ſimia, detegitur res præproperè, proditur intempeſtiue ſimulatio, nec ſibi æger animus ex inſtituto temperat: perge. MOR. Diu tortus eſt, & tandem immortuus eſt certamini nondum peracto, non leui profectò ſtudiorum iactura, quibus magno uſui futurus erat, niſi totum animum omnesq́ ingenij uires ad inanis tituli ſtudium contuliſſet. VILL. Pulchra & affabrè

Ex dialogo Ciceroniano Eraſmi omnia loquitur Morus.

affabre digesta laudum maledictorumq; confusio. Abunde laudat Erasmus, cuius obitu studia magnũ damnum accepisse testatur, is igitur quicquam adferre poterat. Sed quid, quæso, attulisset, qui ad inanis tituli splendorem totum animum, omneisq; ingenij uires contulerat? Inani ambitioni deditus diu se temerè exercuit, ineptis conatibus immortuus est. Vnde igitur ille fructum studijs, si per mortem licuisset, párere aliquando poterat? uideo. Eum, opinor, luculentus ille & nunquam cessans scriptor Desiderius Erasmus Roterodamus, quicquid in buccã cadit, inconsultò garrire effutireq; docuisset: qua forte ratione bibliothecas nugis, & prouerbiorum farragine ponderosis libris non sine grammaticorũ, & infantium admiratione auxisset. At nomini prudentius consuluit. MOR. Nihil est tamen quod isti Ciceronis simij nobis Longolium obijciant: alijs dotibus ille magnus erat, etiam si Ciceronianus non fuisset, & hæc ipsa uanissimi tituli ambitio fructum propemodum studiorum illius corrupit, uitam abrupit. VILL. Quasi uero Longolium si ab inferis excites, non omnia Ciceroni accepta referat, deberéq; ingenuè fateatur, aut, quas de Gallorum, iurisprudentiæ, & urbis Romæ laudibus orationes conscripsit à Ciceronis lectione alienus, illius plus illustrarint nomen, quàm quibus se Romæ in senatu defendit Ciceroni deditus. Amantissima fidelissimaq; Petri Bembi, & Iacobi Sadoleti consilia Longolio

Bembus, & Sadoletus Lõgolio ad Ciceronis imitationem autores.

nihil profuere, nocuere plurimum: qui per omnia ſcriptorum genera prima ætate diuaganti, autores ſummopere eſſe uoluerũt, ut totam ſuam dictionem inquinatam certè quidem illam atque corruptam, ad Ciceronis dicendi formam reuocaret, eumq́ꝫ unum ex omnibus ſibi imitandum proponeret, amaret, aſsiduè legeret, exhauriret, concoqueret. Amici illi uiri tanta eloquentiæ & artium politiorum fama celebres, tamq́ꝫ exacto iudicio præditi, adoleſcentis aciem, falſo obiecto ſplendore & inani ſpe oſtenſa deprauarunt: iuuenem ad inſanos & ridiculos conatus ſua adhortatione inflammarunt, in piſtrinum contruſerunt, ex quo in lucem caput educet nunquam: iacet ignobilis, in uulgarium gregariorumq́ꝫ munero tantùm reponitur, Ciceronis ſtili effingendi ambitione, tanquam ſuperſtitioſa religione obſtrictus, non Similia undiq́ꝫ collecta, non pueriles in Prudentium commentarios, non ieiuna in Catonem ſcholia, non in Mimos Publianos, non in Nucem Ouidij annotationes, non in Laur. Vallam epitomata, non Inſtitutiones grammaticas, non Florulẽtas epiſtolas, non Familiaria colloquia, non Querimoniam pacis, non Medicinæ laudes, non Declamationem contra tyrannicidam, non Apophthegmata, non de Præparatione ad mortem, non Linguæ, non Moriæ, non Matrimonij encomium ſcripſit, non omnibus libris epiſtolas præfixit, non Græculas uoces Latinis aſperſit, non Luciani muſcam, non Scarabeum, non Eunuchum,

Frigida & ieiuna Eraſmi opuſcula.

chum, non Lapytham è Græca lingua in Latinam
conuertit, non surreptas Adagiorum chiliades in
spissum & operosum uolumen retulit: non sacris
prophana miscuit, non sumptas aliunde in Paulum
paraphrases edidit, non Bedæ errorum elenchum,
non Dispunctiones in eundẽ reliquit, non Militem
Christianum enchiridio instruxit, non Sermonem
pro uerbo in noui instrumenti interpretatione sup-
posuit: non Paraclesim, non Exomologesim, non
Commẽtarios in psalmos, non Paraphrasim in pre-
cationem dominicam, non Concionem de misericor-
dia domini, non Comparationem uirginitatis & mar
tyrij, non Expostulationem Iesu, non Casam natali-
tiam, non liturgiam uirginis Lauretanæ, non duas
precationes ad uirginem matrem, non tertiam ad Ie-
sum, non sexcenta alia stultitiæ & ineptiarum plena
perfricta fronte confecit. Quid multa? Non una no-
cte, aut uno pede stans, concepta simul & parta eges-
sit, effudit'ue, quibus per ora hominũ uolitaret, qui-
bus in omnium sermonem ueniret: non garrulitatẽ,
non plebeios sales, non dicacitatem in promptu ha-
buit, qua uel mediastinis, mulierculisq; satisfacere
contenderet. Marci Tullij studio grauior paulosa-
ctus, longo tempore parturijt, quæ tandem peperit,
non informia, non gracilia aut strigosa, sed opimo ha
bitu ea quidem, sanguineq; & osibus spectabilia, sic
ut gigni nihil posit ualentius, aut omni ex parte po-
litius constructum. Grandis est uerbis, & splẽdidus:

Quid Longolio attulit Ciceronis lectio.

acutus, sententiarum & prudentiæ plenus, genere toto grauis atque elatus. Quam dicendi facultatem nisi ei suppeditasset asſidua accurataq; Ciceronis lectio, eodem esset apud eloquentes loco, quem tenet Erasmus. Noli enim putare, More, quicquã illi tam spectandũ, qui aut Latinæ linguæ, aut Græcæ studio teneatur, quàm ut ad eos præcipuè rectà sese conferat, qui & uerborum copiam splendoremq;, & sententiarum grauitatem acumenq; suggerant, nec minus sapientiæ prudentiæq;, quàm eloquentiæ gloria efflorescant & abundent. His laudibus cumulatum Tullium coluit studiosè Longolius, maluitq; ei operam dare, cuius dicendi formam uel tantum sequi, & notã habere, laudabile est, quàm in ijs uersari, quos uel si æques, uel superes, gloria iuxtà careas, sordeasq; inter sordidorum & impurorum colluuiem. Reuiuiscat, de quo sermonem habemus, licet, laudem aliam prorsus nullam, uitæ redditum aucupaturum putem, quàm quòd se Tullio totum inuoluerit: neq; si Ciceronianæ imitationis laudem adimas, reliqua ornamenta, quibus illum magnum fuisse prædicas, uel curet, uel magnifaciat: tantum abest ut agniturũ arbitrer. MOR. Multum tamen abfuit à Cicerone, cui materia defuit exercendæ mirabilis illius eloquentiæ, quam in serijs grauibusq; causis Cicero præstitit. VILL. Absurdum & insulsum argumentum. Tu'ne Ciceroniani gloria spoliandum iudicas, cui exercendæ eloquentiæ materia non suppetit? aut qui

sublato

ſublato ſenatu, eloquij organo, euerſaq; Repub. non tot cauſas dicat, non tot defenſiones ſuſcipiat, quot ille Romanus orator, & ad Quirites, & ad patres conſcriptos dixit, reliquitq; poſteris? An idcirco arte deſtitutum quenquam, & ab eloquentia dicendiq; facultate male paratum probes, quòd dicendi campo hac ætate excludatur? Præſtitit Longolius, quæ licuit, longè maiora præſtaturus, ſi tuliſſent temporum noſtrorum mores, & antiqua illa forenſis exercitatio. Neque mehercule minoris aut negotij, aut eloquentiæ eſſe credam, fictam cauſam & quæſitam (id ſi etiam tibi à me dari uis) probabilibus argumentis tueri, quàm ueram & oblatam defendere, atq; aduerſarium tum exemplis, tum teſtimonijs cominus oppugnare, aut de gradu deijcere. Longolij uerò ſcripta diſcutiamus, & perpẽdamus ad amuſsim. MOR. Edidit epiſtolas ſanè quàm elegantes ac feliciter elaboratas, fateor, ſed multas argumento perquàm humili, plures affectato, quod genus uidentur aliquot epiſtolæ Plinij iunioris. Atqui tales non arbitror in epiſtolarum numero reponendas. Quid enim habent epiſtolæ Senecæ, quod epiſtolæ congruat præter titulum? At in Ciceronis epiſtolis nihil eſt accerſitum: ſi aut de grauibus ſerijsq; cauſis ſcribit, ea, quę coràm exponeret, ſi licuiſſet, ſcribit, aut cum amicis abſentibus de familiaribus rebus colloquitur, aut de ſtudijs confabulatur, quemadmodum ſolent amici præſentes inter ſe miſcere ſermonem, Quid quod Ci-

Longolij epiſtolæ.

cero non edidit epistolas suas, & quasdam uidetur scripsisse neglectius, quàm loqui solitus erat? Vnde bona pars earum, quas Tiro Ciceronis libertus collegerat, intercidit, haud, opinor, peritura, si docti eas iudicassent immortalitate dignas. Primùm igitur illa simplicitas & gratia sermonis inaffectati, deinde ueritas abest in epistolis Longolij plerisque. Ad hæc quoniam nec eadem fuit fortuna Longolij, quæ Ciceronis, nec eadem negotia, fit ut interdũ inepta sit ac frigeat imitatio. M. Tullius senator & uir consularis, scribit ad suæ dignitatis homines, quid moliantur duces in prouincijs, ut instructæ sint legiones, significat: ostendit periculum, diuinat rerum exitum: cùm ad imitationem Ciceronis similia scribit ad eruditos amicos & in ocio uiuentes Longolius, ueluti solicitus de summa rerum, non'ne friget affectatio? Quid quòd ipse in musæum abditus interdum literis mandat uanissimos rumores, quales uulgò circunuolitant, indigni qui uel sermone cordati hominis commemorentur? VILL. Instat, quod superius asserui, nec iam, puto, tibi excidit ex animo. Longolio, quod pro certo omnes habent, ab Erasmo relinquitur, quod dubium est, & quouis iure, quauis iniuria eripi posit, inimicè detrahitur. Elegantes ac feliciter elaboratas ab illo epistolas editas fatetur. Quis hoc nisi eloquentiæ expers, & insigniter impudens neget? Sed tamen multas argumento perquàm humili scripsit, plures affectato. Ecquod putat, More, Batauus

tauus tuus rhetor humile epiſtolæ argumentum, modo ea epiſtola narret explicetq́, quorum certiorem fieri interſit, ad quem ipſe ſcribas? Ecquid epiſtolæ tam proprium, ecquid tam conſentaneum, quàm & ſtili & argumenti humilitas? Ecquid diſputat? ecquid probat? ecquid diſſerit? ecquid refellit infirmat'ue epiſtola, quod tantam argumenti aut ſubtilitatem, aut grauitatem poſtulet? Omnino: ſuadeat, à ſententia abducat, conſilia mutata ſignificet: dolorem leniat, conſolatione ſuſtentet: caſus priuatos aut publicos explanet, res geſtas comprehendat: ad ſcribendum appellet, ceſſantem increpet, officia deferat & polliceatur: expoſtulet, queratur: laudet, ad uirtutem incendat: commendet, opem imploret: gratuletur, gratias agat: diſceptet, opinionem referat: bella loquatur, diuinet, præſagiat: accuſet, ſuccenſeat, ſtomachetur: placet, reconciliet, recolligat, in gratiam reponat, reſtituat: onus imponat, negotia curet, mandata exhauriat. Quid? Hæc'ne tot epiſtolarum conſcribendarum capita familiari & plebeio tum argumento tum ſermone exequi non poſsimus? Argumenti tamen grauitatem in Longolij epiſtolis deſiderat. At iſtud ipſum tam abſurdè facit, quàm hoc impudenter & ridicule ſcribit, bonam partem epiſtolarum Ciceronis intercidiſſe, quòd neglectius ſcriptæ doctis forte uiderentur, & eam ob rem non ſatis immortalitate dignæ. Scilicet princeps ille & unicus Romanæ eloquentiæ deus, epiſtolas conficiendi artem

Nibil epiſtolæ magis proprium quàm argumenti et ſtili humilitas.

Communia epiſtolarum conſcribendarum capita.

cero non edidit epistolas su
scripsisse neglectius, quàm I
bona pars earum, quas Ti
legerat, intercidit, haud, opi
iudicassent immortalitate d
simplicitas & gratia sermo
tas abesse in epistolis Long
quoniam nec eadem fuit su
ceronis, nec eadem negoti
frigeat imitatio. M. Tull
scribit ad suæ dignitatis
duces in prouincijs, ut in
ficat: ostendit periculum
ad imitationem Cicero
amicos & in ocio uiuen
tus de summa rerum, n
quòd ipse in musæum
dat uanissimos rum
tant, indigni qui uel
memorentur? VI
rui, nec iam, puto, n
quod pro certo o
tur, quod dubium
eripi pos
elabo
nis

endo, aut ad Octauianum
Bembum, Sadoletum'ue
. Nemo hoc, præter Eraſ
his rebus plenius & ſæpius
eſſe putarit, id qui noue-
um in eiuſmodi rebus au- *Amici eſt, amicũ in rebus nouis audiendis curioſum, uel uana ſcribendo explere.*
na ſcribendo diligenter ex-
aldi faciat uel rogatui, uel
lius, acta publica, res urba-
m conditionem, bella, præ-
orum inclinationes, pertur-
aut fractam: calentes rumo-
mones: metu perculſos alios
es, alios reſiſtentes & propu-
perſcribit, quis id potius affe-
em interpretetur, quàm offi-
rgutam ſedulitatem in amici
leuando uſurpare cupientis?
in muſæum abditus. Non pu-
ex, fieri amicorum diligentia
ignorent ij, qui uel nomina de-
tu uerſantur, ea ab amicis ani-
cta, ipſorum literis uerè & penè
Sic Longolius ad Grimoaldum
on adfuerat, ſed quæ multorum
ognouerat. Vaniſsimos tamen
rumores literis, quales uulgo
, qui cordati hominis ſermone

d comm

non tenuit, neglectius, quàm deceret, scripsit: minimam hanc artis oratoriæ & rhetoricæ partem ignorauit, subtiliores nouit. Senem repuerascentem miseror More, & nimia detrahendi cupiditate occecatum doleo. Pari studio insectationis, plures Longolij epistolas affectato & quæsito argumento esse probare contendit, quod genus leguntur aliquot Plinij iunioris: sed nec eas in epistolarum numero ponendas arbitratur. Perinde quasi Plinij Longolij'ue & rebus & consilijs interfuerit, uel præfuerit Erasmus, ut certum habeat, accersita sint & affectata, nec'ne, uirorum tam doctorum in epistolis scribendis argumenta: aut perinde ac una tantum sit, & certis finibus circumscripta, neque latè pateat epistolarum materia, cautumq; sit & sancitum senatusconsulto aliquo, ne'ue res serias & à statu nostro abhorrentes, ne'ue curiosius collectos rumorum uentos & serpentem famam, ne'ue nostram de rerum euentis opinionem, epistolis committamus. Friget hinc illa Longolij affectatio, abest simplicitas & gratia sermonis, abest ueritas in illius epistolis plerisque, cùm, uelut solicitus, de regum consilijs, de bellorum apparatu, de facta coitione, de comparata manu, de Gallorum copijs equitatuq;, de Hispanorum legionibus & peditatu, de impressione facta, de uictoria huc uel illuc inclinante, de Italiæ uastitate atque direptione, de oppidorum oppugnatione uel expugnatione, de exercitu aliquo dilabente, de fugatis hostibus, de clade accepta, de nonnullorum

Frequentia epistolarum Longolij argumenta.

rum

rum ſtultitia in bello gerendo, aut ad Octauianum Grimoaldũ, aut ad Petrum Bembum, Sadoletum'ue literas uerboſiores mittit. Nemo hoc, præter Eraſmum, damnarit, nemo de his rebus plenius & ſæpius ſcribere, affectati ſermonis eſſe putarit, id qui nouerit, amici eſſe partes, amicum in eiuſmodi rebus audiendis curioſum, uel uana ſcribendo diligenter explere. Quòd ſi, ut Grimoaldi faciat uel rogatui, uel expectationi ſatis Longolius, acta publica, res urbanas, Italiæ ſtatum, ducum conditionem, bella, prælia, interneciones, temporum inclinationes, perturbationes: ſpem erectam, aut fractam: calentes rumores, aut refrigeratos ſermones: metu perculſos alios & deditionem cogitantes, alios reſiſtentes & propugnationi incumbentes perſcribit, quis id potius affectatum ineptè ſermonem interpretetur, quàm officioſi eſſe ducat, atque argutam ſedulitatem in amici cupiditate deſiderioq́ leuando uſurpare cupientis? At uerò iſtæc præſtat in muſæum abditus. Non putat rerum rudis ſenex, fieri amicorum diligentia poſſe, ut, quæ etiam ignorent ij, qui uel nomina dederunt, uel in exercitu uerſantur, ea ab amicis animaduerſa & perſpecta, ipſorum literis uerè & penè exploratè ſciamus. Sic Longolius ad Grimoaldum multa, quibus ipſe non adfuerat, ſed quæ multorum & nuntijs & literis cognouerat. Vaniſsimos tamen (inquit ille) mandat rumores literis, quales uulgo diſsipantur, indigni, qui cordati hominis ſermone

Amici eſt, amicũ in rebus nouis audiendis curioſum, uel uana ſcribendo explere.

commemorentur. Simile nihil prorsus apud Longolium reperias: omnia & uerè, & grauiter, & sapienter ab eo scripta legas. Cùm autem tantam in epistolis & stili, elegantiam, & rerum grauitatem ueritatemq́ requiras, atque ista epistolas exactè scribendi laude Longolium paulò longius processisse neges, Erasmi tui epistolarum farraginem perpendito, stilum discutito, rerum pondus commonstrato. Abiectè, frigidè, ieiuneq́ scripta omnia, sordida omnia, impura omnia, malè culta omnia. Quid habet tuus ille morosus alienorum censor, præter monachorum conuitia, thelogorum disputationes, rixas, turbas? Graue si quid scribit & homine illo suo cordato dignum, has tantum ineptias miscet. In epistolis concionatur, declamat, theologum agit, de religione christiana disceptat, uiuendi morem præscribit: criminatur, accusat, purgat, defendit, tragœdias agit in nugis, sophistarũ scholis tributa inculcat, mortuos lingua ferit, Longolium ridet, Albertum pium Carporum principem inertiæ infantiæq́ notat, Gallorum ingenijs diffidit. Denique ne parum leuis fortè uideatur, qui grauis nomine nihil peius odit, ructus suos, uentrisq́ crepitus narrat, ulcus recrudescere declarat, calculi dolores remisisse significat. Atqui uoluminum turba illustrem senem asperius urgere non libet, artium nostrarum studiosi gloriam infringere quoq́ pudet. Longolij existimationẽ tueri, nõ Erasmi laudibus detrahere, mihi in animo est. Reliquæ

Quis Erasmus in epistolis scribendis.

Voluminum turba illustris senex Erasmus.

illius commentationes, quo sint apud Erasmum numero, tu pro tuo instituto fac, ut ex te audiã. MOR. Orationes duas scripsit uelut in Capitolio habitas. Ego eas sanè magna cum animi tum admiratione, tum uoluptate ab Erasmo lectas scio. Effecerunt enim ut de illius ingenio longe; quàm antè, magnificentius sentiret. Adeo, ut cum de illo præclaram conceplsset existimationem, uicit multis partibus expectationem illius. Videtur enim in has deprompsisse, quicquid uel suo potuit ingenio, uel è Ciceronis orationibus hauserat. VILL. Eximium & amicum testimonium. MOR. Eæ tamen tot annis elaboratæ, toties sub incudem reuocatæ, toties criticorum censuram perpessæ, quantulum habent Ciceronis? non quidem Longolij culpa, sed temporum. Aptissimè dicebat Cicero, uix aptè Longolius, quandoquidem Romæ nec patres conscripti sunt hodie, nec senatus, nec populi autoritas, nec tribuum suffragia, nec magistratus, nec leges, nec comitia, nec actionum forma, nec municipia, nec prouinciæ, socij, ciues: Postremò Roma noua, Roma non est. VILL. Ad ingenium redit Erasmus, solenneq́ꝫ suum illud diligenter quidem seruat, ut principio pũgere dissimulet, mulceat, adblandiatur, postea obtrectatione impotenter laceret. Orationes (inquit) uerbis ornatissimas, & sententijs splẽdidissimas scripsit Longolius, quibus omniũ de se opinionem multo pluribus partibus uicit: quas tamen cùm tot annos elimauerit atqꝫ perpoliuerit,

Longolij orationes.

rit, cùm toties ſub incudem reuocarit, toties critico-rum cenſuræ ſubmiſerit, quàm longo interuallo ad Ciceronem accedunt? Iam aliud ſtantem, aliud ſedentem Eraſmum ſentire cernimus. Laudis exceptione è cœlo detrahit, quem nuper in cœlo eſſe omni laude uoluerat. Aliorum operam, criticorum cenſuram & iudiciũ Longolio exprobrat, temporis ſpatiũ longinquitatemq; obijcit: quibus ille neq; adiumentis, neq; diuturnis & aſsiduis laboribus aſſequutus eſt, ut uel tantillum Ciceronis habeat. At non ſua quidem culpa, ſed temporum. Aptè enim dicere uix potuit, ut Cicero, qui ſemper aptiſsimè dixit. Riſu penè corruo, More, cùm animum ad inauditas iſtas Eraſmi ineptias paulò diligentius aduerto. Igitur non aptè dixit Longolius, quòd patres conſcriptos, quòd populi Romani autoritatem, quòd tribuum ſuffragia, quòd magiſtratus, qui nulli ſunt, eſſe ipſe finxerit. An hic mecum riſum non prolixum edas? Aptè ſcilicet dicere, hoc non ipſum eſt cauſæ ſeruire, cauſæ propria dicere, in argumentis tum refellendis, tum aduerſario opponendis crebrum eſſe, potentia debilitare, debilia, quæ ad rem noſtram faciunt, enixè confirmare, deprimenda deprimere, attollenda attollere, creſcere, cùm opus eſt, remittere, cùm oporteat: augere, minuere, docere, oblectare, affectus ſuis locis mouere, denique in ijs ſingulatim prudenter uerſari, quæ cauſæ ſuſceptæ congruũt, quęq; nos iuuent maximè, non argumento repugnent, aut per inertiam

Aliud ſtans, aliud ſedens Eraſmus.

Non aptè dixit Lõgolius Eraſmi iudicio quòd patres conſcriptos finxerit.

inertiam noſtram aduerſentur. Singula iſta quando
quidem & acutè & ingenioſè, periterq; & ſcienter à
Longolio perfecta non dubitamus, quid oratori tam
eximio ob decentem illam ad uerba Romana alluſio-
rem obloquimur? quid, cùm ne quidem næuum
aut labem in toto Veneris corpore Momus perſpi-
ciat, leue neſcio quid calumniatur? Quid non po-
tius ſpectatam formam, uenuſtam membrorum com
poſitionem, pulchra oris lineamenta, optimum ha-
bitum, ſpetioſumq; colorem intueatur atque ſuſpi-
ciat, quàm oculos ad ima & uiliora deijciat? Magi-
ſtratuum antiquorum nomina minus apud nos uſi-
tata non inuitus fatear, ſed non id tamen dabo, pa-
trum conſcriptorum ordinem, & officia ſic omnino
ſublata, ut illos antiquis etiam nominibus compella-
ri rectè in cauſis dicendis non conueniat. Senatum
habet Roma ſuum, habet Gallia, habet Britannia, ha
bet Hiſpania, qui quando certo ſenatorum numero
conſtat, cauſam haud facile dicas, quin eos patres
conſcriptos uerbo proprio & ſignificanti appellare
liceat. Legibus hoc etiam tempore gubernamur, ma-
nent ſuffragia, actiones intendimus: municipes, ſo-
cios, ciues noſtros habemus: neque eſt, in quo hæc
exoleuerint, niſi forte uocum immutatione à barba-
ris inuecta atque inducta. Vocibus huiuſmodi Lon-
golius rectè uti potuit, non apud imperitam multi-
tudinem & plebis fecem, ſed audientibus doctiſsimis
eruditiſsimiſq; uiris, antiquorum iſtorum uerborum

Decens Longolij alluſio ad antiqua uerba Romana.

Vocibus Romanis antiquis rectè uſus eſt Romæ Longolius, idq; de induſtria.

non ignaris. Adde, non Friburgi Brisgoiæ, non Londini, non apud Hispanos aut barbaram aliquam gentem, sed Romæ in Senatu, Latino populo intuente & auscultante, orationem Longolium habuisse, illicq; uerbis de industria usum, quæ illic nata, quæ illic nota, quæ illic usitata, uulgata, atque grata essent: quorum usu si abstinuisset, inuidiam, qua premebatur, auxisset, ea siquidem tantum accusatione in iudicium ab aduersarijs uocatus, quòd Romani nominis gloriam maledictis depressisset, quòd Romæ dignitati detraxisset. Quam inuidiam, quo potuit modo prudentius sapientiusq; lenire aut commodius extinguere, quàm ea inculcans uerba, quibus maiorũ gloriam ob oculos iudicibus poneret? & charam sibi iucundamq; Romanæ antiquitatis memoriam testaretur? Eo consilio à iuuene ingenioso factum est, ut obsoletis & desitis nominibus æquales nostros appellarit, ut orationem ad hominum studia & uoluptatem accommodarit, qui adhuc Romam rerum dominam & suorum magistratuum ordine efflorescentem somniant, qui tametsi honoribus & dignitate orbati sint, honorum tamen insignia, & superba gloriosaq; maiorum nomina Romæq; mores libenter audiunt atque agnoscunt. Fac uerò si uis, ut forte uis, Longolium affectatè magis, quàm ullo consilio, aut ea quam attuli, ratione, uerba ab ætatis nostræ statu & moribus remota in orationem suam coniecisse, patres conscriptos liberius appellasse, quos iu-

dices

dices aptè appellare debebat. An idcirco cuiquam dubium sit, sublato rerum usu, uerbis ipsis posse nos sine uitio uti? Quis sic loquentem iure barbariei notet? Bonis ominibus, uel secundis auspicijs ad rem aggressus sum. Propriè sic loqui possumus. Vbi tamen ominum, aut auspiciorum ritus? ubi cultus? ubi obseruatio? ubi inanis illa religio aut superstitio? Remansit tantum loquendi usus, res ipsa exoleuit, interciditq; iampridem. Multa mihi huiusce generis in mentem ueniunt, & tibi fortasse plura, sed ad rem reuertar, & hoc sine dubitatione asseram, Patres conscriptos, aptè propriéq;, à Longolio uocatos, cui deliberatum erat, iudices falsa gloria, inaníq; nominum auitorum splendore commouere, incendere, infatuare. Sed meam hanc defensionem nihilo secius Erasmus improbabit, quàm Longolij orationum argumenta contemnit. MOR. Ludicrum ille plusquàm serio agit, non aliter alludens ad ætatem Ciceronis, quàm is qui scripsit Batrachomyomachiam, allusit ad Homericam Iliaden, ranis, ac muribus, rebusq; ridiculis ac friuolis, deorum, dearum, heroum splendida uerba, factaq; accommodans. Ita Longolius exaggerat capitis discrimen, ornatas cohortes, gladiatorum manum, quorum uiolentia, autoritas amplissimi ordinis, ac secundum leges agendi libertas fuerit impedita. Fingit priscam illam Romam orbis reginam, & huius præsidium ac tutorem Romulum cum suis Quiritibus, somniat patres conscriptos, &

Sublato rerũ usu, uerbis ipsis rectè uti possumus.

Deliberatum erat Longolio nominum auitorũ splẽdore iudicibus illudere.

auguſtiſsimum ordinem. Populum in ſuas tribus diſtinctum, prætorum ius, tribunorum interceſsionem: ſomniat prouincias, colonias, municipia, & ſocios urbis ſepticollis: recitatur Senatuſconſultum, citantur leges, appellantur ueteres illi Romanæ ciuitatis principes, è monumentis excitantur. Quid non? perquàm faceta res eſt. Cæterum cùm nec ſit ex hiſtoria petitum argumentum, ut ſaltem per fictionem ſuo tempori, ſuisq; perſonis conueniat, quî fieri potuit, ut hîc totum exprimeret Ciceronem? In hac tamen materia, tanto ſtudio, tantaq; dexteritate ingenij, rem geſsit egregius iuuenis, ut hodie neminem norim, uel apud Italos, quem exiſtimem idem præſtare poſſe, tantum abeſt, ut Longolij laudibus aliquid detrahere uelim. Hæc eò tantum dicuntur, ut adoleſcentiæ ſtudijs proſpiciam, ne ſe ſuperſtitioſè diſcrutiet affectatione Ciceronianæ ſimilitudinis, ſic ut hac intentione ab utilioribus, magisq; neceſſarijs ſtudijs auellatur. VILL. Magna ſolicitudine ſum, More, atque intimis ſenſibus angor, quod iam Eraſmo nomen rectè poſsim adſcribere. Profuſum'ne laudatorem uocem, quem tributarum laudum tam ſubitò pœniteat? acerbum obtrectatorem appellem, qui obtrectationem tam profuſis laudibus miſceat? ſenem uerſipellem aut bilinguem nominabo, qui modo candidus ſit, modò ater nimium: qui linguam alteram melle delibutam, alteram toxico diſſertam ac rigentem gerat. Cedo, quid Italis omnibus antepo-

Eraſmi natura & mores.

nit

nit,cuius argumenta,ut inania & ludicra ridet? quem Pop. Rom. finxisse, quem Quirites somniasse coarguit? Somniauit uigil atque animo excubans, quæ nisi causæ inseruisset, non aptè, sed ineptè: non copiosè,sed exiliter & pressè: non sublatè, sed attenuatè: non ornatè, sed sordidè & inquinatè: non grauiter,sed leuiter:denique non oratoriè,sed grammaticè dixisset. Nihil supra modum, sed omnia intra modum potius, nihil inops, nihil ieiunum, nihil inflatum, nihil corruptum: nihil cessans, nihil redundans,nihil circunfluens, nihil superuacaneum: nihil non uerisimile atque probabile, nihil senatui Romano non conueniens, nihil causæ susceptæ non congruum,nihil non laudabili inuentione, & arte admirabili accommodatum. Audet tamen impudens scurra rem tam seriam, ut ludicram,aspernari: adolescentiæ studijs prospicere se putat,eam cùm admonet, ne Ciceronianæ imitationi hæreat,eam cùm à scriptore tam diuino dehortatur. Mallet forte Apuleij Asinũ, Beroaldi declamationes,Alexandri grammatica,Baptistę Pij racemationes & spicilegia,Caroli Vituli epistolas, Britonis synonyma,Porcorum pugnam,à iuuentute legi, ut nulla maiori laude in dicendo procederet, ijsdémque finibus subsisteret, quibus ille substitit: uel quanto Vatinium odio Cicero insectatus est, tanto ipsa contemptu & despicatu Ciceronis libros auersaretur. Porrò cuperet præclarus iste & fidelis suasor,eloquentiæ studio neglecto,alia nos uti

liora magisq; neceſſaria ſequi. Quis niſi emota & alienata prorſus mente hoc non inſanũ iudicet, eloquentiæ ſtudio utilius ullum dici? qua cæteris animantibus præſtamus, qua ad deorum numen proximè accedimus, qua nos inter nos coniungimur, qua dolorem aperimus, qua moleſtias leuamus, qua animum deſpondentes ſuſtentamus? Neque etiam ſi philoſophiæ ſtudium intelligat, hoc à Cicerone abeſt: ſimul cum ſingulari illa eloquentiæ facultate, & Latini ſermonis copia, Philoſophiæ inſtituta atq; præcepta ad animum excolendum affatim ſuggerit, rerum cauſas indagat, recõditiora ſcrutatur, & quicquid ad ſapientis grauitatem conſtãtiamq; pulchrum eſt, aut ad moderandos & cohibendos animi motus neceſſarium, nobis plena manu è Græcis depromit. MOR. Non prophanum philoſophiæ ſtudium, ſed ſacras literas, Chriſtiq; diſciplinam Eraſmus intelligit. In quam ſcriptis illuſtrandam ſi uigilias collocaſſet, quas actionibus illis ludicris impendit Longolius, quantum utilitatis uel religioni Chriſtianæ, uel ſtudijs, uel patriæ allaturus erat? Profectò miſeret me adoleſcentis. Teſtatur ſe ſcripſiſſe etiam orationes quinq; in laudem urbis Romæ. O pulchrè collocatam operam. Quanto rectius eam collocaſſet, ſi ciuitatem illam, atq; eos præcipuè, qui bonas literas ibi profitentur, orationibus aliquot elaboratis, ad Chriſti cultum, ac pietatis amorem inflammare ſtuduiſſet? At quibus tantum uigiliarum datum eſt? VILL. Aperit hic ſe latus ſermonis

Quibus nominibus utile eſt eloquentiæ ſtudium.

Non ſolum artis dicendi laude, ſed philoſophiæ etiã præceptis & inſtitutis clarus Cicero.

monis campus, ut non Eraſmum ſolum, ſed uniuer-ſam Lutheranorum ſectam, inſolentiæ, gloriæ intolerabilis, dementiæꝗ accuſem, qui ſuis commentarijs, & diſcrepantibus inter ſeſe ſcriptis, Chriſti diſciplinam uel illuſtrare & patefacere, uel ornare, ad eamꝗ nos rapere arbitrantur. Quid? Num cum illo uociferari libet? O uanas hominum mentes, ô pectora cæca. Cæca mehercule inanis laudis ſtudio. Et eſt, ſi dijs placet, qui diuina humanis laboribus, & uigilijs iuuare ſe poſſe credat? Eſt, qui hominum ſcriptis & conſilijs adhortationibusꝗ nos ad Chriſti doctrinam & amplexandam, & colendam incendi potius ſuſpicetur, quàm uel renuentes ſumma illa dei uoluntate, & iuſſu adduci, trahi, rapiꝗ exiſtimet? Quæ (malum) eſt iſta impudentia atque arrogantia, ſacris humana miſcere? & in diuinæ potentiæ ſocietatem uenire uelle? Ergo minus potẽs Chriſtus, & patris æterni numen. Ergo fractior illa eſt, & debilior uis cœleſtis ad conciliandas retinẽdasꝗ hominum mentes & ſtudia, niſi Eraſmi, & theologorũ quorundam blateronum opera, labor, uigiliæ, ſcriptaꝗ opem deo tanquam ſupra uires conanti ferant. Ergo nobis impoſuere, tenebras nobis offudere, reconditos & abſtruſos, non obuios ſenſus diuini autores reliquere. Ergo Eraſmi commẽtarijs & interpretatione opus. Ergo ſpiritus ille ceſſat, nobis omnia edocendis à patre præfectus. Illius fungitur officio, illius partes ſubit, illius negligentiã & deſidiam ſarcit ſua loquacitate Eraſmus, ſuis nos

De Luthero, & Eraſmo.

ſcriptis ad religionem inflãmat. Ergo ſi ne litera quidem ad inſtitutionis noſtræ libros acceſsiſſet, Chriſti non ſatis teneremus præcepta, Chriſtum non audiremus, Chriſti mãdata non exhauriremus. Ergo niſi Chriſtiani militis enchiridiõ, niſi paraphraſes in Paulum ſomniaſſet, niſi garrulo hoĩ de re Chriſtiana garrire libuiſſet, Chriſtũ non noſceremus, Chriſtũ lentè & faſtidioſè amplexaremur. Longè alia eſt doctorũ & bonorum opinio, atque Eraſmus exiſtimat. Religionem omnem ingenua animi inductione, metu & reuerentia contineri, non uerbis induci, ſapientibus exploratum eſt. de qua ſi diſceptes, aut liberius uerboſiusq́ ſcribas, languet reuerentia, tollitur ſenſim metus, conuellitur rei diuinæ opinio, religioq́ in rem uulgarem dilabitur, atque diſsipatur. Paulò hic fuſius, acutiusq́ ratiocinemur, More. Rem uerã narrabo, & te mihi ſubſcripturũ non deſpero. Quid Lutherus? quid Zuinglius? quid Oecolampadius? quid Buccerus? quid Eraſmus? quid Melanchthon? quid Lambertus? quid Farellus? quid reliqua recentiorum theologorũ ſentina ſuis tam acutis & luculentis in ſacros libros cõmentarijs genti Chriſtianæ attulit? Videor hic aliquẽ unũ mortis minis, & uitæ periculo territũ, nõ clara id uoce profitentẽ, ſed ſtrictis labris muſsitantẽ audire. Superſtitionẽ ſuſtulerunt, religionẽ retulerũt, & ſuis natalibus reſtituerũt. Inſolens & arrogãtiæ plena oratio. Sic igitur de hoĩm labore, & autoritate pẽdet nititurq́ religio nobis hoc tẽpore reſtituta.

Quibus rebus cõſtet religio.

Quibus rebus læditur religio.

restituta. Sed aliquãto secus,atq; sperabãt, euenit. Errorum (quos uocãt) dum fontes aperiũt, Christianæ persuasionis dũ capita quędã discutiunt,& omnia ad suã sententiã nutumq; reuocant, dum religionẽ uelut elimant & perpoliũt,fit profectò, ut introspectis mysterijs,quæ reuerebantur antea, multi iam multa negligant,uanaq; & commentitia opinentur,Christi institutionem despiciant, Deum humana curare negẽt, animam corpori non superstitem prædicent,credãtq; omnia morte deleri,nec ullum sensum manere. Hanc nostri seculi labem & maculam conflauit explodenda Lutheranorum curiositas, qui cùm errantes in uiam reducere (id quod dictitant) & ad frugem bonam reuocare studuerũt, religionis dignitatem labefactarunt,notiora (ut humanum est rerum notarum fastidium & contemptus) aspernandi ansam dederunt,diuina euerterunt, humana introduxerunt, stupidos & rudes acuerunt, acutos & solertes infatuarunt. Nunc Erasmus inconsultò clamet Longolij male collocatas operas: nihil Christianæ religioni attulisse,nihil utile conatum queratur: adolescentis tam ineptis conatibus immortui misereatur. Plus Erasmo Lutheroq; religioni attulit, eam cum reuerenter coluit, maluitq; ad omnia conniuere & prudenter silere,quàm,quæ religionem euerterent atque pessundarent,commentari: rem superuacaneam conari noluit, quod sciunt omnes, docente Christo, docere, tanquam Christus,erubuit. Obijciat, quæ uolet, &

Quantum religionem Christianã labefactarint Lutheri conatus.

Humanum rerũ notarum fastidiũ.

Quid Lutherus suis scriptis effecerit.

Plus religioni profuit Longolius, eam dũ reuerẽter coluit, q̃ Lutherus aut Erasmus dum omnia miscuerunt.

Erasmi garrulitas. uidebuntur, Erasmus: sua, qua omnes solet, garrulitate nos obtundat: non fidem mihi tamen faciet, homines (eos semper excipio, quibus uel credita ciuitatis alicuius Christianę administratio, uel singularis omnium consensio, ad id suscipiendum excitabat, Augustinum, Hieronymum, Chrysostomum, Cyprianum, & reliquos pietate potius erga suos ciues ductos, quàm gloria semiustos; & inanis ostentationis studio, ut Erasmus & Lutherus, flagrantes) sacrarum literarum interpretes aut esse plane, aut esse ullo modo posse, cultores tantum esse debere mihi persuadeo: neque effrenatam istam interpretandi audaciam probo, quæ in immensum & infinitum facilè quidem crescat, gignatq; sua sponte sexcenta controuersiarum uolumina, fructum nullum pariat, alios tantum in alios incendat, & rixam sempiternam excitet, non Christianam fidem confirmet, aut alat, nullo nisi Dei præsidio stabilem & constantem futuram. Præcepta sua si alia, quàm prima Apostolorum enuntiatione, indigere censuisset, explicatiora reliquisset Christus: quorum neque rationem quisquam explicatam habeat, neque sensum teneat, nisi ab eo fonte hauriat, à quo primum dimanarunt Iesu Christo crucifixo. Grauissimas commentationes Lutherus proferat, luculentas paraphrases Erasmus emittat, inaudita Oecolampadius crepet, monstra narret Zuinglius, stupenda Lambertus abiecto cucullo loquatur, unus est nihilominus Christus, qui suo numine

Effrenata interpretandi audacia in theologis Germaniæ.

mouet

mouet,qui aſciſcit,qui allicit, qui trahit, qui retinet, qui ſeruat,qui transfugas poſt culpam agnitam recipit, qui deſertoribus ignoſcit, & aditum ad caſtra optata patefacit. Frigent cum frigido, mortalium commentationes adhortationesq́ꝫ, niſi qui ipſe ignis eſt,frigentem torpentemq́ꝫ excitet, calefaciat, inflammet. Commune nihil habet,cum Chriſtiana ſuauitate & lenitate ſtomachus: Chriſtiano homini ira,indignatio,iniuriæ conuitiaq́ꝫ non ſatis quidem conueniunt.

Commune nihil habet cum Chriſtiana ſuauitate ſtomachus.

At quid Luthero Eraſmo'ue in Monachos, in Epiſcopos,in ſummum Pontificem acerbius? quid conuitioſius? quid ardentius? Non tam ſtupido ingenio ſum, More, aut ita rerum ignarus, ut Monachos uitam agere dicam,quæ monachi nomine ſignificatur,quæ monachis propria eſt: neque Epiſcopos uitioſis moribus pleroſque, & uita flagitioſa eſſe negem, horum hominum ordinem uoluptatibus magis,quàm religioni deditum non diffitear,neque Romanos ſemper Pontifices omni uitio caruiſſe aſſeram,multa Romæ nihil minus quàm chriſtianè fieri, denique religionem propè omnem impotenti ſacerdotum libidine,auaritia,ac ſtructis ad pecuniam uijs, labefactatam,fœdatamq́ꝫ, meapte ſponte haud dubiè prędicem.Non tamē tantas excitatas & à Luthero & ab Eraſmo tragœdias,tot facta omnibus conuitia,totq́ꝫ maculas aſperſas probem.

Lutheri & Eraſmi conuitioſa ſcripta.

Quàm duplices ſint Monachorum mores,quàm diſcolor ſub cucullo diſcolore uita, nouere maiores antea: Epiſcopos

Maiorum prudentia & modeſtia.

non omnibus uitijs puros ſciuere: ſacerdotes ex re qualibet lucra ligurire perſpexere, grauiora & animi altitudine ſapientiaq́ꝫ digniora, à mentis humilitate remotiora, quàm Lutherus, proferre potuere. Satius illis tamen uiſum eſt & cautius, ad hominum lapſus conniuere, omnibus indormire, quàm tot turbas mouere, quàm dentata charta & conuitijs iſtas hominum peſtes exulcerare, quàm crabrones irritare: hoc unum rati illi quidem & gnari, flagitioſos à flagitio uerbis non abduci. Eraſmus contrà, quòd omnia impudenter audeat, quòd omnes laceſcat, quòd ſtilum in omnes diſtringat, quòd in monachos inuehatur, quòd debacchetur, quòd Lucianum omnibus ridendis & pungendis impiè æmuletur, eo ſanè nomine ſeriò triumphat, gaudio exultat, lætícia deſipit, eam ſibi gloriam ut maximam uendicat, ea ſcribendi licentia, & literis & Reipublicæ non uulgariter inſeruire ſe putat: qui eodem ore & impudentia non furiat, qui eadem inſania non præceps ſit, qui eadem non ſuſcipiat, & obeat, qui mentis ſanitate utatur, cui modeſtia placeat, & temperantia, malè operas collocare, nihil utilitatis adferre, inania conari iactitat. Vſui nulli fuit de Eraſmi ſententia, rara illa & mirabilis Longolij eloquentia, quæ in rebus paulo ſolutioribus & à religione remotis omnino uerſata eſt, qui à literis ſacris abhorruit: ex qua non de puero Ieſu concio, non Paraphraſes, non Annotationes in epiſtolas Hieronymi, non locorum emendatio & reſtitutio

Eraſmus omnibus ridendis Lucianum æmulatur.

tutio in Ambroſium,non cola, & commata in libros Cypriani: non de ſarcienda eccleſiæ cõcordia nugæ. MOR. Pluribus tecum non diſceptabo, quid ſuis quiſꝙ commentationibus Chriſtiano cultui religio-niꝙ conferre poſsit: tecum iam,ſi ita uis,faciam, nec Longolio Eraſmum laudabiliorẽ ob poſita in ſacris literis ſtudia præfractius pugnabo: in tua iam arena uerſor, elaboroꝙ,ut,ob quã Lõgoliũ tãtopere effers & admiraris, eloquentia Eraſmum non minus ornatum,non minus utilem,non minus quoꝙ acceptũ, à te mox exprimã. Dictu mirum, quàm Longolio applaudant Itali quidam. Fateor,Longolij ſcripta laudant, ſed Eraſmum legunt. Bataui oratoris nænias, quæ Colloquia uocãtur,quanto plures terunt manibus,quàm Longolij orationes, quãlibet elaboratas, quãlibet expolitas? Quid in cauſa? Quid? niſi quòd illic res ipſa capit,moraturꝙ lectorem,qualicũꝙ ſermone tractata? At hæc quoniã theatrica ſunt, & uita carent, dormitat lector ſtertitꝙ. Vtilitas etiam commendat mediocrem eloquentiam. Quæ tantùm adferunt uoluptatem,ea diu placere non poſſunt,præſertim ijs,qui literas in hoc diſcũt,non ſolùm ut politius dicant,uerum etiam ut rectius uiuant. In ſumma qui iuuenem illum ad huius laudis ambitum inflammarunt,non optimè meriti ſunt uel de ipſo, uel de re literaria. VILL. Non puto More,exiſtimare te, aſſentatione me uelle labi, aut in alicuius uoluntatẽ ambitioſius loqui. Proximũ tamen eſt, ut meum de Eraſ-

f mo iud

mo iudicium feram,&,quid de Longolio sentiam, libere quoq; dicam. Adducit me tua oratio,ut ad id celerius aggrediar. Principio utilem Erasmũ sic nego, ut reliquis scriptoribus,extra antiquos,hanc laudem adimo. Latina lingua uti tantũ possumus, illam uerbis augere, aut schematibus ditare non item. In quo alios quidem alijs longe præstare atq; excellere conspicias. Quibus placet uerborum puritas & splẽdor, quibus displicet sordidum & inquinatum loquendi genus, quibus elegans uerborum delectus, quibus apta & quasi rotunda constructione erecta, quibus non soluta aut diffluẽs,sed suis numeris astricta,grata est oratio,laudem facilè adipiscuntur: reliqua passim scriptitantium colluuies,nullo est neq; numero, neq; nomine. Atq; si à nobis latinè pureq; scribentibus, fructus quicquam percipi certè posit, hoc erit fortasse,ut deteriora sequentem iuuentutẽ,& ad corruptiora propensam, exemplo nostro ad antiquorũ imitationem inuitemus,antiquorũ lectioni inhærentes. Quid igitur de illo iudicemus, qui antiquos neglexit, & prouerbialem inconditamq; loquendi formam est sequutus? MOR. Omnia audenda docuit, superstitiosum uerborum delectum non habendum ostendit. VILL. Docuit profectò,quæ omnem ingenij commendationem euertant, non cursum ad illustriora aperuit:inani uerborum farragine contentus, sibi plus satis indulsit,ineptè adblãditus est,omnia & licere, & decere, sibi ipse persuasit,scopas dissolutas amauit,

Latinæ linguæ nihil quisquã adferre potest, ea tantum uti licet.

Omnia audenda docuit Erasmus.

amauit, expeditum & inconditè currentem ſermonē, ac profluentem quoquómodo ſtili celeritatem probauit: teretem & ſonorè numeroſeq́ꝫ cadentem orationem reſpuit, uerbis non inops, ſententijs etiam frequens & creber, ſed languidioribus, & quæ probabilem utcunque ſcriptorem magis, quàm mirandum, aut magnopere laudandum præbeant. Præſtitit, quæ facilius quiſq́ꝫ conſequatur, quàm ſequi aut imitari ſtudioſius uelit. Supinus iacere maluit, quàm altius erigi aut extolli. Plebeiam nominis celebritatem præſtantiorem duxit, quàm raram & ſtupendam apud eloquentes famam: cuti expoliendæ, quàm confirmandis neruis diligētius incubuit: linguæ promptitudinem, & loquacitatem grauitati antetulit. In uulgus probari cupijt, doctis frigere, ſua non ita magni intereſſe putauit: uoluminum ſtruem, non ſcriptorū elegantiam à ſe poſteritati relinquendam cenſuit. MOR. Legitur tamen, & illuſtri gratia ab omnibus excipitur, non è manibus dimittitur, illi arridetur, applauditur. VILL. Scurras etiam & moriones animi gratia audimus, ſed continuo ſatietate defeſsi. Neque mediusfidius natura ita comparatū ignoro, ut rebus ludicris facetis'que capiamur. Sed quis plus ſemel Eraſmi ſcripta legat, uel reguſtet uorata? MOR. Tu'ne adeo Eraſmi cōmentationes aſpernaris? VILL. Age uerò, eas mihi ordine recenſeto, ut, quæ mea ſit de omnibus ſententia, intelligas. MOR. Quantū illi laudis ob tot reſtitutos autorꝫ ueterum locos, aut ob tot

Eraſmi ſtilus.

In uulgus p̄bari uoluit Eraſmus.

Nemo plus ſemel Eraſmi ſcripta legit.

annotationes tribuis? VILL. Dicã ingenuè, More, & ſine ulla mehercule ironia. Ego Eraſmi eruditionẽ, induſtriam, tanti ipſe facio, quantum doleo, ingenij tam multi uirum, ad eos fructus nõ perueniſſe, quos nobis indole ſpondebat. Quò proceſsiſſet, conijcio, ſi totum ſe ad eloquentiã contuliſſet. Sed ad inſtitutum redeo. Illius annotationes ſummopere probo, neque mediocriter laudo, nulla tamen eloquẽtia ornatas ui- deo. Libros de copia rerum & uerborũ, tum ex Cice- rone, tum ex Quintiliano cõpilatos, dubiũ eſt nemi- ni. MO. Militis chriſtiani enchiridion pluris forte fa- cies. VILL. Opus charitatis plenũ, & theologi per- ſonam affectantis. MO. Dialogũ in barbaros, & Mo riæ encomiũ laudant uehementer omnes, admirãtur multi. VILL. Narras, in quibus magis Eraſmi dicaci tatem agnoſcas, quàm uim dicendi ullam contemple re. Ridet, eludit, delicias facit, laceſsit, increpat, lædit, cachinnum etiam in Chriſtum tollit. Cõmutabile ar- gumentum & uulgare, & ex triuiali aliqua ſchola du ctum. MOR. Apophthegmata, niſi fallor, laudabis. VILL. Indignus ſene labor, & grãmatico, quàm ui- ro ad laudem inſigni aptior: Laude enim caret, tria aut quatuor, plurimùm, uerba ad inuentum appinge re, & ſcholia iſtiuſmodi aſpergere. Scite dictum, ur- banè, facetè, iracundè, ſuperbè, iocoſè. Cætera quid tibi non ignorãti referã? MO. Epiſtolas ab illo editas ſilentio pene tranſierã. VILL. Iacturã nullam Eraſ- mi laudis feciſſes. Ad epiſtolam uix quadrat, concio, declam

Libri de Copia, uerborum.

Militis chriſtiani enchiridion.

Moriæ encomiũ.

Apophthegmata Eraſmi.

Epiſtolarum farrago.

declamatio,diſputatio,quæ Eraſmo perpertua ſunt. Atque ſiquid extra hæc in epiſtolam conijcit, quid præter aſſentationes? gratulationes? laudationes? quid præter inepta pro alicuius ſalute & dignitate uo ta? quid præter leues rerum geſtarum narrationes, aut uanas de religionis Chriſtianæ ſtatu diuinatio- nes? MOR. Prætermiſeram, quod à primo propo ni oportuiſſe putabis. VILL. Quid iſtud eſt? MOR. Querimoniam pacis non commemoraui, in *Querimonia pacis.* qua uires omnes ſuas periclitatus eſt. VILL. Hiſto riam belle contexuit,exempla pulchrè congeſsit atq; cumulauit. Nihil artificioſè diſputat,nihil argumen- tatur,nihil probat, nihil diſſoluit: nihil expeditum, nihil ornatum, nihil flexibile, nihil liquidum aut li- berè fluens, nihil uſquam non adhæreſcens: nullæ concinnæ,nullæ exquiſitæ, nullæ reconditæ ſenten- tiæ: nihil ſuo loco poſitum, nihil docens, nihil oble- ctans,nihil mouens: dura omnia,inſolentia,humilia. MOR. Mirum ſanè faſtidium, & haud ſcio an libe- rum & ingenuum, an maleuolentia concitatum. VILL. Maleuolentia nulla commoueor, ut hæc uel faſtidioſè uel moroſè colligam: quod res habet, liber eſt hic dicendi locus, nec Eraſmo quicquam de- rogo,hasq; iudicandi partes mihi ſic arrogo, ut eas quidem doctis & eloquentia ornatis communes eſſe uelim. MOR. Cætera quæ illi uel ſtertenti uel ſom- nianti exciderunt, quæq; nimia præcipitatione, ue- luti medicamentis abegit,& fudit certè potius, quàm

exornauit aut conſcripſit, numerare in præſentia non habeo: iacebunt apud te minutula, qui multis uigilijs elucubrata ſpernis. *Colloquia Eraſmi.* Colloquia uero quem apud te obtinent locum, autori ſuo tam iucunda? VILL. Simiæ mihi in mentem uenit, quæ formæ elegantia & uenuſtate cæteris facile animantibus antecellere catulos putat ſuos: ſic nænias ſuas Eraſmus, perinde ac reliquis omnium ſcriptis & ornatiores & præſtantiores ultro laudat, atque admiratur. Quid cenſes, niſi id quod certum eſt, neminem, præter illum, leuia & ridicula tanto ſtudio laudaturum? MOR. Comœdiæ non diſsimilia ſunt: quæ mores perditos notat, quæ dolos explicat, quæ diuerſa mortalium ſtudia perſequitur, quæ patrum indulgentiam uel aſperitatem, quæ adoleſcentium mollitiem & luxum, quæ meretricum aſtus & fraudes, quæ lenocinia, quæ illecebras ob oculos ponit, quæ hominum uitæ ad multa conducit. VILL. Vtilia multa uitæ exempla ſuggerit comœdia: quæ quàm utilitatis plena eſt, tam inania ſunt rerum, quæ prædicas Eraſmi colloquia. *Quid in Colloquijs Eraſmus.* Quercum concionantem, Betam ſapientem narrant: coquorum cõgreſſum, combibonum compotationes, Monachorum impoſturas loquuntur: pueros caput aperire, comiterq; ſalutare docent. En ſumma illa utilitatis commendatio, en fructus, en uoluptas, en commoda, quæ ex nænijs tam laudatis capias. *Ironia.* Præ Eraſmi colloquijs, nulla neque Longolij, neque æqualium quorumuis noſtrorum ſcripta uti-

lia

lia,nulla fructuoſa, expetenda nulla. Qui literas in hoc diſcunt, non ſolum ut politius dicant, uerum etiam ut rectius uiuant,actutum ad colloquia Eraſmi concurrant,ea legant,ea diſcant, ea memoriæ mandent. Dicent politè,ut Eraſmus: uiuent rectè,ut Eraſmus: omnia denique, ut Eraſmus. Prudens & fidele conſilium. At pernicioſa fuit eorum adhortatio, peſſimeq́ʒ de re literaria meriti ſunt, qui Longolium ad uulgaris laudis ambitum inflammarunt. Tuam Bembe prudentiam,tuam Sadolete ſapientiam accuſari intelligo. Cruce & laqueo digni homines, aut in culeum iudicio legibusq́ʒ inſuendi, qui tam eximium adoleſcentis ingenium ad inepta traduxiſtis, qui ad inanem Ciceronis imitationē, nō ad fructuoſa & ſucculenta Eraſmi Colloquia ediſcenda, iuuenem ueſtra adhortatione excitaſtis. Iure uos iniuriarum poſtulet res literaria,cui,ſic deprauato Longolij & animo, & ingenio, damnum tam graue intuliſtis. Iure uobis actionem intendat,iure dicam impingat, qui aptiſsimum rebus illius augendis adoleſcentem, ad aliud gloriæ ſtudium reuocaſtis. MOR. Non tuo hoc ſermone ab Eraſmo alienabis,quos ſumma beneuolētia implicatos habet,ueteriq́ʒ amicitia coniunctiſsimos. VILL. Alterum,ſcio, lenitas manſuetudoq́ʒ, alterum comitas impediet,ne cum garrulo ſene, & ad dicacitatem nato ſimultatem ſuſcipiat, aut acceptam iniuriam ulciſcatur. MOR. Amicos ad odium uocare,aut inter ſe committere deſine, tuum de Longo-

Bembus & Sadoletus accuſati ab Eraſmo.

lio iudicium profer. V I L L. Deſino, & quæ mea ſit de Longolio ſententia, tuo iuſſu profero. M O R. Sed uide, ne illi minora tribuas, quàm tibi iam pridem ſuis epiſtolis aſcripſit. V I L L. Mihi quid tribuerit, memini: quare par pari referam. M O R. Sic mutuò muli ſcabunt. V I L L. Referam ueritate perpulſus, quæ ille amore adductus, mihi ultro detulit. M O R. Gratum hominem & memorem. V I L L. quid ni? ſic ſum planè natura factus, ut officia apud me poſita interire non patiar, aut obliuione intermori. Longolium antepono Eraſmo, qui me Eraſmo anteponit. M O R. Gratè factum & amicè, ſed minus fortaſſe uerè. V I L L. Accedet hoc amplius. In una Longolij epiſtola plus eloquij, plus artis rhetoricæ, plus linguę Latinæ ſplendoris elucet, plus acuminis eſt, plus inuentionis uiget, quàm in omnibus ad unam Eraſmi commentationibus. Nempe Longolio non ad quæſtum fuit, non Frobenij prælo incumbendum, non ſatisfaciendum. Id quod Eraſmum coëgit, ut omnia pręcipitaret atque proijceret, non matura ederet: ut abortiret, concepta ſuo tempore non pareret: ut magnos ſcribendi proceſſus efficeret, ut euolaret, non excurreret: ut magis inops eſſet, quàm figuris abundans, ut magis horridus quàm nitens, ut magis ſquallidus, quàm politus & excultus, ut magis grauitatis faſtidioſus, quàm cupidus. Longolio contrà ea una fuit ſtudiorum propoſita & expectata merces, ut nihil uel ęqualium uel poſterorum iudicio indignum ſcribe

De Longolio iudicium.

Quæ Eraſmo cauſa ut omnia præcipitarit.

ſcriberet: ut grauiſsimis acutiſsimiſq; commentatio-nibus ſeſe acerrimè exerceret, ut in inueniendis componendiſq; rebus miram accurationem præſtaret, ut oratione amplus eſſet, ut non uerbis abiectus, ut non feruido & petulanti & furioſo conuitioſoq; genere dicendi uteretur: ut non tanquam ignotus & repentinus in oratorum numerum ueniret, ſed illuſtri antea fama celebris & ſpectatus, primas ſine controuerſia inter diſertos ætatis noſtræ teneret: ut non unus è multis, ſed inter multos ſingularis eſſet: ut non incautus, dicam uel plus etiam quàm incautus? ut non hebes in cauſis, ut non ſocors negligens'ue, ſed prudens ſolerſq; uideretur. Aſſentatoris nota turpiſsimè inurar, uelim, niſi quæ illi tribuo, longe cumulatiora eſſe & uberiora, docti omnes cùm fateãtur, tum teſtificentur. MOR. Orationis copia, ſplendore, acumine Longolio primas nemo præripit, ſed eruditionis doctrinæq; magnitudine & præſtantia, ut orator philoſopho, ſic Eraſmo non iniuria cedet. VILL. Occurrunt ad tempus, quæ de Longolio Paulo ante prædicaſti, illum ſcilicet magnum alĳs dotibus, etiam ſi Ciceronianus non fuiſſet: per omne autorum genus ſeſe uoluerat, diſciplinas liberales omnes diligenter edidicerat, ultra iuris peritiam. Tua ipſius confeſſione teneris, repugnantia tibi non obĳcies. Fuit ille magnus alĳs, quàm artis oratoriæ inſignibus, uiro eloquenti & diſerto multa ſimul doctrina ſuppeditauit: plurimis literis, non ĳs certe uulgaribus, ſed in-

g terior

terioribus & reconditis abundauit. Eraſmo rara alioqui eruditione ornato defuit eloquentiæ ſplendor, & exquiſita dicendi ſcribēdiqꝫ facultas: cui ſi re ulla cedet Longolius, ſcriptitationum congerie, & uoluminum turba cedet. Sed plus libro uno laudatur Perſius, quàm loquax ille poëta tota Amazonide. Itaque uter utri præſtet, cum parta gloria, tum fructu & utilitate adferenda, facile ſic conſequemur.

Qua re Longolius Eraſmo cedit.

Eraſmi & Longolij collatio.

Eraſmus.

Perpetua eſt alteri ſtili exilitas, ſiccitas, ieiunitas, & penè inopia. Verum eloquentiæ ſanguinem libenter deperdit, ut uitioſum colligat: ſanitatem & integritatem orationis negligit, inſulſitatem & ineptias amplectitur. Fractum, attenuatum, aridum, ſtrigoſum, minutum, corruptum, puerile, putidum dicendi genus probat: ſyncerus, purus, politus, acutus, concinnus, ſui ſemper ſimilis, grandis, mollis, mitis, maturus, pellucens, non hiulcus, non aſper, aut eſſe aut uideri odit.

Longolius.

Alter optimè inſtitutus, & perfectè planeqꝫ literis eruditus, uerborum ſplendore elegans, compoſitione aptus, facultate copioſus, accuratius quoddã & exquiſitius dicendi genus ſibi ſequendum duxit. Tractauit eleganter & ſcienter pro ſuo acri & uehementi ingenio, quæ pleniora ſunt & grandiora. Puduit ad excelſa natum & aptum iuuenem, exiliter anguſteqꝫ dicere: dixit humilia ſubtiliter, magna grauiter, mediocria temperatè. Digna ſubſellijs, digna roſtris, digna foro, digna multiplice & frequente corona, digna totius Italiæ concurſu, digna iudice erecto, & attentè

& attentè audienti conatus eſt animoſè, perfecitq́ ſumma arte & prudentia. Sublatam iudiciorum rationem, cauſasq́ dicendi morem ingenioſè retulit: ſcripſit, quæ ſupra æqualium noſtrorum uires eſſe facile concedamus, feliciq́ illi antiquorum oratorum ætati aſsignemus. Adeo, ab illis tempore tantùm abeſt, non ullis eloquentiæ ornamentis, aut gloria: antiquos Romani eloquij principes propius ſubſequitur, exprimit, repræſentat. Cuius tam amplę & cumulatæ laudis inuidia ſemiuſtus Eraſmus, dialogum Ciceronianum euomuit: finxit, ſub cuius perſona, Longolij ſtudia rideret, conatus aſpernaretur, gloriam infringeret: maioris impatiens, Longolium laude maiorẽ, poſſeſsione laudis exturbare adnixus eſt. Laudes tamen aſperſit detrahendo & maledicendo, odium ne ſuum plus ſatis patefaceret, omnibus nihilominus perſpectum. Non aliud ſenem inuidia flagrantem ad uulgarem illam de imitatione Ciceroniana diſputationem conſcribendam adduxit, quàm Longolio detrahendi ſtudium. quod quoniam à me ſatis probatum eſt, hoc loco mihi ipſe admoneri uideo, ut ad eam partem, quam de imitatione propoſui, nunc tandem ueniam, & Eraſmi dialogum percurramus. MOR. Hoc à te fieri cupio, mallemq́ iam factum, quàm Eraſmo tam uehementer reclamatum. VILL. Eraſmi laudibus tam ipſe amicus ſum, quàm qui maximè, ſed nec popularis ſenis autoritas, nec gratioſum apud multos nomen, me quidem

Quid Eraſmum impulit ut dialogum Ciceronianum ſcripſerit.

dem terrebit,quin,quæ uera ſunt,& uera eſſe mecum ſciunt omnes, liberè atq; intrepidè dicam. De eruditione & doctrina Eraſmum plurimũ ſemper & amaui,& laudaui, morum candorem & animũ beneuolum,modeſtiam conſtantiamq; in eo ſæpe requiſiui.

Cur Eraſmus toties in Longolij memoriam incurrat.

Quò pertinet toties in maledicam Longolij mortui memoriam incurrere? toties de illius ſtudijs mentionem facere? toties inanes (ut uocat) illius labores conatusq; miſerari? toties quieſcenti obgannire? Paſcitur iniqua cõmemoratione,ægrotans ex inuidia animus: dolorẽ leniri,uel parte ex aliqua leuari poſſe ſperat,quum de dolore cũ amicis per literas cõmunicat. Hinc creber ille in epiſtolis florulẽtis de Lõgolio ſermo,hinc ille aliquãdo riſus,hinc illa interdũ obtrectatio. MO. Lõgolij cauſam,obteſtor te,miſſã iam faciamus,& ad inſtitutũ ſermonẽ ueniamus. VIL. Lõgius mihi nihil erit,hoc mihi modò des, non tanquã unus aliquis ex indoctorũ grege, ſed ueluti exiſtimator do

Apud quos magna Eraſmi autoritas & multum nomen.

ctus & intelligẽs,des hoc mihi inquam,Eraſmũ iuuenili quadã dicendi impunitate & licẽtia, ſcriptorũ numero,tantùm apud rudes & barbaros magnũ,nulla eloquẽtię laude Longolio proximũ: ſimul hoc fatea

Longolius longe Eraſmo præſtantior.

re,& mihi,ſi libet,largiaris,Longoliũ omni doctrinæ & artis dicẽdi gloria non Eraſmo ſecundũ,ſed illum longe plurimumq; anteire: hoc ipſum dum recte omniũq; aſſenſione cõcedes,nõ te rogabo,ut Eraſmi libris utiliora ſcripta Lõgolij,uel doctis gratiora & acceptiora eſſe mihi annuas. Iſtud quidẽ te etiã renuẽte

& neg

& negãte, uerũ facile credet, qui id sciet, bonã Erasmi operũ partẽ, eo uiuo iam interijsse: quas nullæ posteà literæ, nulla uox, nulla fama notas cuiquã faciet: iuueniles Lõgolij cõmentationes desiderari & expeti, orationes uirili & grauiore iudicio scriptas, summa uoluptate & admiratiõe à doctis omnibus legi & laudari. *Bona Erasmi lucubrationũ pars eo uiuo itercidit.*
MO. Non temerè fit, Villanouane, officiũ si solum sequamur, & amici existimationi inseruire cupiamus, ut arcem sæpe ex cloaca faciamus, uel ex musca elephantem. Ego uero Erasmo, si quis alius, plurimum & faueo, & studeo, neque quenquam laude cumulatiorem arbitror. Veruntamen quàm rectè uereq́ iudicem, docti ipsi uiderint, & scriptoris, tam luculenti laboribus saltem, & diligentiæ industrięq́ applaudent.
VILL. Laborem laudant omnes, & admirantur: stili puritatem, elegantiam, grauitatemq́ requirunt. Sed eodem relabimur, hoc iam satis discussimus. Nunc te audio: capita Ciceroniani dialogi persequere, at præcipua, & ab ineptijs uacua. MOR. Ciceroni qui studiosius operam dant, morbo grauissimo affectos fingit: quam interiorem luem, non phthisin, aut icterum, non malum in pulmone insidens, non febrem, sed nouum lepræ genus uocat, in uenis & corde grassantis, interius quiddam adurentis, ab intimis animi penetralibus, quæ in cerebro sunt, proficiscentis. Imò uerò dementiæ genus appellat, quod non totam mentem adimit, sed unam modo partem animi infuscat, uerùm insigniter: ueluti sunt, *Ciceronis imitationem nouũ lepræ genus Erasmus uocat.*

qui ſibi uidentur capite taurina geſtare cornua, aut naſo prælongo onuſti, aut ingens idq́ʒ fictile portare caput, exili collo innixum, mox comminuendum, ſi ſe uel tantulum commoueāt. At non tanta eſt morbi acerbitas, quin medicinam ſe facturum ſperet, & polliceatur Eraſmus. VILL. Egregium certè medicum; medico tamen nihil opus eſt, ubi nullus neque morbus, neque uitium. Inſani eſſe potius putem, animo ſanis & beneualentibus medicinam uelle adhibere. Num extremæ dementiæ eſt, eloquentiæ ſtudium interpretari inſaniam? Quis in hunc modum inſano medicinam faciat? Tanta inſania ſi quis eſſet, quanta eſt Eraſmus, iſti inſaniæ medicum ſe offerret. Verum inſaniam non herbis aut potionibus ſuperamus, recto & prudenti conſilio, ſapientiáq́ʒ depellimus: qua quoniam Eraſmus caret, quis eum in deſperatis habendum mihi non aſſentiatur? Bella mehercule & pulchra translatio, inſanos eos appellare, qui Ciceroni imitando incumbant. Iſtam inſaniam conſilio ſuo, & adhortatione concitauit Quintilianus, his nos uocibus ad inſaniam rapuit. Ciceronem unum ſpectemus, hoc propoſitum nobis ſit exemplum, ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero ualde placebit. An non conſtringendus Quintilianus? an non loris cædendus? qui iuuenum animos ad inſaniam excitat? An non ſingularibus honoribus dignus Eraſmus, qui ab inſania nos reuocat, qui ſanitatem reſtituit, qui Ciceronis imitationem fugiendam admonet, qui per omnia ſcripto-

Quintilianus imitationis Ciceronianæ ſuaſor.

ſcriptorum genera peruagandum hortatur? Atqui pluribus fortè, quàm ſanum deceat, cum inſano agimus: reliqua expecto. MOR. Iſtiuſmodi inſaniæ morbo confectus nuper Longolius è uiuis exceſsit. VILL. Quaqua parte impetum in Longolium facit: quem ad extremum tantùm perſtringere decreuerat, ſtatim à principio lædit. Iam qua inſania ipſum illum ſeſe in Ciceronis lectione exercuiſſe narrat, ſummatim, quæſo, complectere. Inani ſermone perſtrepentem, & uerborum copia circunfluentem redundantemq; Eraſmum audire moleſtum eſt: paucis omnia comprehendito, ſcurræ dicacitatem prætermittito. MOR. Faciam. Annos ſeptem totos nihil attigit, pręter libros Ciceronianos Longolius, à cæteris non minore religione temperans, quàm Carthuſiani temperant à carnibus, nequid alicunde hæreret alienæ phraſeos, ac ueluti labem aſpergeret nitori Ciceroniani ſermonis. Proinde, nequid peccaret imprudens, quicquid eſt aliorum codicum, ſubmouebat ab oculis, nec ulli prorſus erat locus in illius bibliotheca, præterquam uni Ciceroni. In Ciceronis ſcriptis euoluendis ac reuoluendis adeo erat aſsiduus, ut totum propemodum ediſceret: nulla eſt in omnibus diuini uiri libris uocula, quam non in lexicum alphabeticum digeſsiſſet. Annotarat iuxta literarum ordinem formulas loquendi M. Tullio peculiares. Congeſſerat in uolumen pedes omnes, quibus Cicero uel incipit, uel finit commota, cola, periodos,

Longolij ſtudiũ ita ridet Eraſmus in Ciceroniano dialogo.

quibusq; numeris horũ media temperat, tum quibus sententijs quam modulationem accõmodet: ut ne tantillum quidem posset subfugere. VILL. Pulchrum Longolij studium commemoras, quod licet Erasmus rideat, rectè tamen constitutum atque apparatum censeo: neque mehercule tam morosa fuit Longolij in uerbis cura, uocem ut nullam nisi ex elencho Ciceronianæ dictionis erutam, in scripta sua conijceret: neque ea in compositionis ornatu, stiliq; forma solicitudo, ut omnia ad Ciceronis lineamenta superstitiosius exigeret. Ridiculam uerborum calumniam fugiebat, uocem nullam reformidabat, quæ uernacula esset, & urbis Romanę propria, quæ'ue autore aliquo non pessimo defendi posset. Stili mora, aut religiosa tarditate, nihil ausus est minus feliciter, nihil eam ob rem lacerum, nihil ieiunum conatus est, aut scripsit: sermonis ingenijq; libertatem impediri, animi sui aciem, & generosos impetus, anxia inutiliq; cogitatione frangi aut retundi noluit. Ducem Ciceronem in scribendo habuit, non in illius uerba sic iurauit, ut nihil suo arbitratu tentaret. Demonstrat tamen, id quod in præceptis oratoris primum est, cuius potissimum similis esse studuit, atque ita, ut quæ maxime in eo excellant, ea quàm diligentissimè persequatur.

De imitatione. Itaque hîc non extrahendum, quin de imitatione uerba ipsi faciamus, sed quanta maxima fieri poterit breuitate, in Longolium perpetuò intuentes, ut noscamus, rectè'ne ista artis oratoriæ parte usus sit. Artis

pars

pars magna (ſi Quintiliano fidem habemus) quin imitatione contineatur, dubitari non poteſt. Nam ut inuenire primum fuit, eſtq; præcipuum, ſic ea, quæ bene inuenta ſunt, uelle ſequi. Atque omnis uitæ ratio ſic conſtat, ut quæ probamus in alijs, facere ipſi uelimus. Sic literarum ductus, ut ſcribendi uſus fiat, pueri ſequuntur: ſic muſici uocem docentium, pictores opera priorum, ruſtici probatam experimẽto culturam in exemplum tuentur. Omnis deniq; diſciplinæ initia ad propoſitum ſibi præſcriptum formari uidemus. Et hercule neceſſe eſt, aut ſimiles bonis, aut diſsimiles ſimus. Similem raro natura præſtat, frequenter imitatio: quæ Periclem atq; Alcibiadem & eadem ætate Thucydidem, acutos, ſubtiles, breues, ſententijs magis, quàm uerbis abundantes ſcriptores, ſimiles inter ſe effecit. Non potuiſſet enim (ut inquit ille in oratore) accidere, ut fuiſſet unum omnium ſcribendi genus, niſi aliquẽ ſibi propoſuiſſent ad imitandum. Conſequuti ſunt hos Critias, Theramenes, Lyſias, qui omnes illum Periclis ſuccum retinuerũt, ſed fuerũt paulo uberiore filo. Fuit ſemper aliquis, cuius ſe ſimiles pleriq; eſſe uellẽt. Sit igitur in arte dicendi præcipuum, ut unius alicuius ſimilitudinem imitatione aſſequi contendamus: id quod tum exercitationibus crebris, tum magnis, tum maximè ſcribendo adipiſcimur. Imitationem uero tribus potiſsimũ conſtare non ambigis, uerborum copia, ſententiarũ uarietate, & componendi ratione. Copiam autem uer

Ex Quintiliano.

Imitatio tribus conſtat.

h borum

Verborum delectus.

borum ſordere prorſus ſcimus, niſi in ea delectus habeatur: cuius & ducem & principem eſſe Ciceronem non negaris. Etenim Liuium Andronicũ, Appium Cæcum, Cornelium Cęthegum, Ennium, Nęuium, Plautum, Cecilium, Pacuuium, Actium, C. Lælium, P. Scipionem, Gracchos fratres ante perfectum illud Linguæ latinæ tempus, omnia antiquè, pleraque durè loquutos memoriæ proditum eſt: quorum aſperiorem & horridiorem ſermonem, uerbaq; tritis auribus & eruditæ Romæ intolerabilia eliminauit poſterior ætas, duramq; & ieiunam ſermonis formam ſuſtulit, atq; unctiorem quandam & ſplendidiorem loquendi conſuetudinem induxit. Qua felici ætate floruit ille diſertorum & eloquentium uirorum cœtus, Hortenſius, Cæſar, L. Domitius, M. Claudius, L. Torquatus, Brutus, Cælius, Seruius Sulpitius, P. Lentulus. At quis in tanta clariſsimorum oratorum multitudine primas in eloquentia tenuiſſe dicitur? Ciceronem nemo ultro non reſpondet: in quo linguæ Latinæ lumen ſplendorq; eluxit, cuius nomen non hominis eſt, ſed eloquentiæ: in quo uerbum nullum aſperum, nullum durum, nullum horridum, nullum inſolens, nullum humile, nullum in longius ductũ, nullum impropriè tranſlatum, nullum deſitum, nullum obſoletum, nullum antiquatum. MOR. Quorſum hæc? VILL. Vt intelligas, primam imitationis partem, ſi ſplendida & pura uerborum copia atque ubertate conſtare putemus,

Antiquum linguæ latinæ tẽpus.

Ciceronis nomẽ, non hominis, ſed eloquentiæ nomẽ eſt.

mus,non aliunde,quàm à Cicerone eam aut quęrendam esse, aut comparandam: in quo nihil nouum, nihil Romani sermonis principum iudicio non comprobatum. Quòd,si qui Gallicè, Italicè, Hispanè'ue scire cupit, cum ijs uersari necesse habet, qui Gallici, Italici, Hispani'ue sermonis rationem exactè tenent: an Latinè loqui cupienti,unum Ciceronem legendũ non existimes, purissimum linguæ latinæ fontem, flumen, oceanum? Fac aliquot esse uerba uel ad rem rusticam,uel ad fabrorum arteis, uel ad suppellectilem domesticam, uel ad Medicos, Chirurgos, Astrologos,Pictores,Architectos,Cetarios,Lanios, Pistores,Fartores,Coquos,Vnguētarios pertinētia: an ita certè multa sunt, ut eorum partem tibi non promat Cicero, partem aliunde uel sesquihora accersere nequeas? At illam uerborum congeriem, qua communis struitur fabricaturq́ oratio, quis æque puram, splendidam, ornatamq́, ac Cicero suffiat? MOR. Confert igitur nihil reliquorum autorum lectio. VILLAN. Confert planè nihil, quod ad uerborum copiam ubertatemq́ faciat: eruditionem forte auget, & historia exemplisq́ cumulat. Latinè loquatur Liuius, Plinius uterque, Quintilianus, Gellius, Columella, Vegetius, Vitruuius, Seneca: non alijs tamen uerbis,atque Cicero,utuntur, sed aliter compositis, hiulcè sæpe & uastè contextis, nec ad numeros latinos, & germanam linguæ latinæ phrasim cadentibus. Quare qui latinè loqui

Pura uerborum copia non aliunde quàm à Cicerone petenda.

Latinè loqui cupienti unus Cicero legendus.

optet, unum ei Ciceronem imitandum cenſeo, nullum præterea adiungendum aut ad ſermonis puritatem, aut elegantiam. MOR. Sic nulla eſt exceptio. Ciceronianus non erit, in cuius libris, uel una dictiuncula reperiatur, quam non poſsit in Ciceronis lucubrationibus oſtendere, totamq́ phraſim ſcriptoris, non aliter, quàm adulterinum numiſma, reprobam iudicas, in qua uel unum uerbum reſederit, quod Ciceroniani characteris non habeat notam: cui ſoli, uelut eloquentiæ principi, datum eſt à ſuperis, Romani ſermonis monetam cudere. Iſta lex ſeuerior eſt etiam Draconis legibus, ſi ob unam dictiunculam parum Ciceronianam, totum uolumen damnatur, quanuis aliâs elegans & facundum. Non ferenda eſt iſta moroſitas atque faſtidium, ut ſcriptum alioqui doctum & elegans reijcias, & indignum lectu iudices, non ob aliud, niſi quòd ad Ciceronis imitationem non ſit elaboratũ. VILL. Falſò & ineptè colligis More. Cicerone uno, præterea nullo, cum utendum moneo, ſic certè moneo, ut, quæ apud Ciceronem reperias, non aliunde accerſas, quæ deſunt, à puro & bene Latino ſcriptore mutueris: quanquàm uix mihi quiſquam perſuadeat, Ciceronis libros ita uerborum inopes, ut ad rem quàmlibet & ornatè & plenè tractandam, ſermonis copiam non adminiſtrent. Obteſtor te, Ciceronianum nomẽ inuidia libera, pro Cicerone, penum

linguæ

linguæ Latinæ audi. An quæ in penu sunt integerrima & optima omnia, tibi non usui esse malis, quàm aliena, eaq; corrupta & inquinata, undique corrogare? an præposteri es usque adeò ingenij, ut fruge oblata, glande uesci in delicijs habeas, ut aliorum sordes mireris, diuinitus à Cicerone acceptam, & nobis relictam linguæ Latinæ puritatem candoremq; negligas? Ne tu hoc loco nostram morositatem accusa, quibus nihil quicquam probari quereris, quod Ciceronianum minimè sit. Quod Ciceronianum est, Latinum illud uocari placet: nihil enim Ciceroni proprium, quod Latini quondam non probarint, quod non receperint, quo non usi sint, quod non elegans, tersum, & uenustum putarint. Quid tuus Erasmus? Prouerbiale suum forte loquendi genus obseruari cuperet: Ciceronianum, quod Latinum interpretor, odiosè uitari uellet atque explodi. Scriptores omnes Latinos diligenter uoluendos & accurate studioseq; legendos uetat doctus nemo: extra Ciceronem quenquam ullum imitandum nemo quoq; paulo doctior suadet, à quo reliquis omnibus aliquid accessit, cui nihil à cęteris acceptum est, ad quem reliqui sese effinxere, qui nullius autoris Latini imitatione usus est, sua sponte omnibus numeris absolutus & perfectus, reliquis omnibus maior, nullo neque Gręco neque Latino inferior: ad cuius imitationem contendere illustrius sit, quàm reliquorum eloquentiam superare præstantius. Certè si alijs operam dandam,

Quod Ciceronianum est, Latinũ esse.

Scriptores omnes legendi, sed nullus imitandus præter Ciceronem.

aut horas aliquot tribuendas adhorter, his nominibus abhortabor: *Quare reliqui ſcriptores legẽdi.* Primum, ut quid à Cicerone, tum uerborum, tum ſententiarum, uel ſumant, uel ſurripiant, uel mutuentur, deprehendamus, & ad illius imitationem alacriores efficiamur, à quo magni etiam nominis ſcriptores multa ſumere perſpiciamus. Deinde, *Simile.* ut, quemadmodum qui de rectа declinant, ubi in deuia aliquantum aberrarint, & per ſalebroſos minimeq́ planos locos iter languentes fecerint, optatius in uiam redeunt, atque rectà attentius inambulant: ſic per omnia autorum ſcripta ſatis prima ætate diuagati, errore tandem percepto, nos ad Ciceronem cupidius recipiamus, totosq́ conferamus. Poſtremo, *Simile.* ut, ſicut obtuſum quotidiani cibi ſuauitate palatum, aceto aut acerbiore aliquo iure irritamus, guſtatuiq́ conſulimus, ita aſsidua Ciceronis lectione contractum, ſi quod contrahi poteſt, faſtidiũ, autorum crudiorum acerbitate depellamus: aut, quaſi oſcitantes & obdormientes, incondito aliorum ſcriptorum ſtrepitu & murmure excitemur, ac noua relictæ uoluptatis, id eſt, intermiſſæ Ciceronianæ lectionis cupiditate ſubſiliamus. Re alia ulla, quàm iſta alacritatis renouatione ſcriptores omnes magis conferre aut prodeſſe non opinor. MOR. Qui fit tamen, ut qui à Ciceronis lineamentis non recedunt, ipſi ferè adeo Ciceroniani non ſint, ut ſubinde deſtituantur grammaticæ ſubſidijs? VILL. Niuem atram loqueris, remq́ narras in omni memoria inauditam. Nouum eſt, & incre

incredibile,ut qui in tam alto & profundo flumine natet,non ſe,quò uelit,impellat,ferat,rapiat, & aquarum gurgite ex animo non utatur, modo natandi peritus ſit,nec ſubere aut cortice indigeat. MOR. Aenigma. VILL. Breuibus explicabo. MOR. Age. VILL. Incredibile,ut cui ſit familiaris Cicero, illius opes communes non habeat, modo antea doctrina ſit liberaliter inſtitutus, & aliquo ſcribendi imbutus uſu,nec ingenio ſatis acri careat. MOR. Rem nihil dum teneo. VILL. Aperte dicam. Simile ueri non eſt,aut ulla ratione probabile, ut qui Ciceroni operam det,& in illius lectione accurate uerſetur, uerborum elegantia,ſententiarum grauitate,compoſitionis lenitate, & æquabili fluxu, diues non ſit & beatus. Ne arbitrare in Ciceronianis à me numerari, qui collectas ex Cicerone aliquot loquendi formas, paſsim & ubique inculcant, grammaticorum elementorum interdum ignari. Ciceroniani nomen ei tribuam,qui Ciceronem diligenter legerit,qui Ciceronem intus & incute nouerit,qui Ciceronem una lectione (ut tuus Eraſmus librorum helluo) non uorarit aut abſorbſerit: ſed ſenſim delibarit,deguſtarit,reguſtarit, exhauſerit,benecꝫ cōcoxerit. Expectas quem tanta diligentia in Cicerone uerſatum nominem? Longolium profero. Ciceronianum agnoſcis. An grammaticæ ſubſidijs deſtitutum? An ieiunum? an attenuatum? Illum tu cum Eraſmo committe,orationis argumentum utricꝫ dicta. Tremit iam metu, non ſenectute

Qui Ciceroniani nominandi.

Ciceronianus Longolius.

Eraſmus,terret ſenis canos adoleſcentis pubes: premit intermortuos ſenis ſenſus, creſcens adoleſcentis ingenium: uincit ſenis balbutiem elegans iuuenis ſermo. Iulium Cæſarem Scaligerum tibi hic obijcerem, uirum Ciceronis lectioni multum deditum, in quo grammaticæ ſubſidia non deſideres, dicendi facultatem laudes: ſed quam Eraſmo plagã inflixit, Longo iam tempore obductã, ſermone meo refricare nolim: hominẽ prudẽs penè præterij,ne Eraſmi dolor recrudeſceret. Superat omnem ſanè admirationẽ diuturnum iſtud ſenis garruli ſilentium. Mirum eſt,maledictis appetitum ſenem,balbutiendi garriendiq; anſam non arripuiſſe. Sed mirum ei non accidit, qui Eraſmum nõ ignoret,ſciatq; uelites ab eo & tyrones audacter laceſſi & urgeri: ueteranos & ualentes laniſtas non temerè uel oſtenſo digito offendi. Stunicas, Sutores,Bædam,Hiſpanum Monachum,alioſq; leuioris impetus ferre quidem potuit, fregit loquacitate, impulit audacia: eloquentiæ præſidio munitioribus neque obnititur, neque reſiſtit: uictoria coactus cedit,manus dare non dubitat, uicti nomen his uocibus à ſe repellens. Furit Scaliger, maledictis certat: ignota pugna Eraſmo, inuiſum certamen Eraſmo. Ratione, non conuitijs pugnat, ſtomacho nullo eſt, omnia modicè,omnia temperanter, omnia conſtanter. MOR. Non Scaligeri eloquentia, ſed conuitia, Eraſmum à reſpondendi ſentẽtia abduxerunt. VIL. Intelli

Iulius Cæſar Scaliger orationem in Eraſmum ſcripſit pro M. Tullio Cicerone.

Ad Scaligeri orationem Eraſmus non reſpondit.

Quæ Eraſmi uires & conatus.

Ironia.

Intelligo: conuitioſus conuitioſum, ut canis mordax canem mordacem, timet: bene eſt. ego, unde mea digreſſa eſt oratio, iam reuertor. Verborum copiam ita à Cicerone comparandam monemus, ut detur à nobis opera, ne integros uerſus mutuemur, aut quaſi centones quoſdam ex Ciceronis uerbis conſuamus, uel, quæ apud illum rariora ſunt, potius imitemur, quàm quæ uſitata & paſsim occurrentia. Præcipuum ſit hoc quoque, ut illius uerba omnia tanquam in emblemate uermiculato expoſita diſpiciamus, animaduertamúſque quid elegans, quid mundum, quid proprium, quid translatum, quid in alienum locum immigret, quid in ſuo conſidat: quid uariè ſtructum, quid diuerſè: quid purum ſit & ſimplex, quid collocatum, quid compoſitum & coniunctum: quid duplicatum quid exaggeratum, quid iteratum, quid commutatum, quid ornatus cauſa iniectum, quid officio fungens & neceſſarium, quid ſtridens, quid lene, quid fluens, quid adhæreſcens. Animaduerſa ſic proprietate atque ſignificatione uerborum, tutò ad ſentẽtias progrediemur. Sententiarum uarietatem, uim, copiam, grauitatem adminiſtrat magis natura, quàm imitatio. Neque aliter pictoris labor in irritum cadat, qui ad ſingulos linearum ductus, penicillos paratos, coloréſque in promptu non habeat, quàm qui orationi conficiendæ incumbens, ſententias aliunde colligat, non eas ultro benignéque offerentem na-

Quomodo uerborum copia à Cicerone petenda.

Quid primum in Cicerone legendo attendendum.

Secunda imitationis pars.

Simile.

turam ſequatur. Ciceronis tamen lectionem in hoc genere maximè neceſſariam arbitramur, ut uelut conſopitam ſomno cogitationem noſtram, uel eam ipſam oſcitantem & dormitantem ſuſcitet & exacuat: animúmque percutiat, eorum, quæ illuſtria, inſignita, explicatáque legimus, traducta in memoriam imago: ac quæ inchoata ſunt & rudia tantum in animis noſtris ſenſa, in uim maiorem deducat, faciátque, ut ſcribentibus nobis præſto ſint ea & accincta. Recordamur multis ſæpe locis, quid acutè, quid grauiter, quid remiſſè Cicero: quæ quanquam non ijſdem uerbis, aut non eodem orationis ſono ad rem noſtram transferamus, iuuant tamen & ad ſimilitudinem inuitant, nihil minus quàm inuentis alienis ſimilem: ſicq; unius uerbi imagine, totius ſententiæ ſæpe fit informatio. Aqua dum nobis interdum hæret, & cùm perplexi in medio curſu ſubſiſtimus, obuiam prodit loci in eandem rationem à Cicerone tractati memoria, quæ nos dubitantes impellat, & excogitationi noſtræ animos faciat, doceátque, quatenus aut pes in rem præſentem efferendus ſit, aut à propoſitio referendus.

Simile. Atque licet uiam, qua nobis aliquò proficiſcendum eſt, non ignoremus, & latè ſemita pateat, tamen ſi, qui illac iter rectà fecit, eius ueſtigià appareant, tametſi pedem in eadem non imprimamus, dubitationem omnem ſanè adimunt, &, ut ſine erroris ſuſpicione inambulemus, admonent. Sic, quanuis

comm

communis eſt ſententiarum excogitatio atque ua-
rietas, ijs tamen ut rectè commodéque utendum
ſit, uiam quaſi indicat & oſtendit Cicero ſenten-
tijs omnium maximè creber & frequentatus. In
quo imitando quid impedit, quin aurificum in-
duſtriam atque artem æmulemur? an ſi à te bra- Simile.
cteam illi accipiant, non eam, ſi libet, ſic immu-
tent, ut nihil formæ primæ maneat? an non ex catel-
lo leonem, tum ex Leone catellum conflent? Ita ſen-
tentias ex Cicerone collectas ſic inuertere arte no-
ſtra poſsumus, ut ſua, ſi uiuat, Cicero non agno-
ſcat, ut furti non agat, ut nihil iure repetat. Qua-
propter, quandoquidem ſententiæ lumina ſunt &
gemmæ orationis, non ex ſtercore eas conquiren-
das eliciendáſque putem, ſed ex ditiſsimo Cice-
ronis mundo, gemmis lectiſsimis & undique pel-
lucentibus ſpectabili. Sententiarum uero uarietatem
ſic nullo negotio, Ciceronem legendo dignoſcas &
quæras, ſi omnia eodem ſemper modo oratori non
dicenda intelligas, ſi, ut ipſe, omnes locos inge-
nioſe ſcrutere & perueſtiges, ex quibus eruas argu-
menta, obſeruéſque ut ille uerecundis (quod fere
fit) miniméque pugnacibus principijs, ut intenſis,
(quod raro faciendum) ut elatis, ut uel ad offen-
ſionem aduerſarij, uel ad ſui commendationem pa-
ratis, ut narrationibus explicatis & dilucidis uti-
tur: ut tenue filum in docendo ſequitur, ut calli-

dius & argutius interdum argumentatur : ut pro ratione temporis, & cauſæ natura, iudicum animos flectit, afficit, regit: ut quibuſdam locis uim eloquentiæ totam expromit, ut ſeſe totum numeroſè & uolubiliter fundit, ut res auget & amplificat, ut neruoſius, uehementius, concitatiúsque inſurgit, ut leniter ſe remittit, ut lamentatione & plangore forum aliquando complet, ut omnia aptè, eleganter, peritè, prudenter, ingenioſè, artificioſéque agit. Ea ipſa qui animo percurſa habebit, ſententiarum non carebit uarietate aũt copia.

Poſtrema imitationis pars. Sed de his hactenus. Sequitur, ut, quod ad extremam hanc imitationis partem ſeruauimus, breuiter à nobis explicetur: dicamúsque de compoſitionis lenitate. Lenitatem compoſitionis efficiunt ſonus ipſe, & numerus, quibus ſtilum à ſtilo facile *Numeri orationis.* diſtinguas. Soluta autem quanuis ſit oratio, ingredi tamen & procedere libere debet potius, quàm uel uagari, uel licenter errare. Circumſcriptione & ambitu, tanquam in orbe incluſa currat, ac in quadrum numerúmque redigatur. In quo, ſuperbiſsimo aurium iudicio morigeramur : quæ perfecto completóque uerborum circuitu, & concinna coagmentatione gaudent, quæ curta ſentiunt, quæ redundantia & laſciua repudiãt, quę moroſè expectant, ut aptè uerbis colligata cadat ſententia. Itaq;, quod huc pertinet, quid in Cicerone diligẽtius obſerues, quàm

quæ

quę numeroſa ſunt, & ſonora? Exercitatus, ſcio, ſtilus hāc compoſitionis ſuauitatē præſtat, ubi niſi adſit naturæ felicitas, labore te infinito & pucrili confeceris, nihil effeceris. Conducit tamen apud Ciceronem numeroſæ orationis ſtudioſiſsimum, accuratè circumſpicere, qua potiſsimum ratione uerba inter ſe collocet, numeroſamq; & aptam comprehenſionem extruat. In primis habet quoddam delectationis aucupium, uerborum conglutinatio & circuitus, non contractus ille quidem & minutus, ſed ſine elaboratæ concinnitatis ſignificatione molliter leniterq; deſinens. Collocari autem uerba ita à Cicerone cernimus, ut inter ſe quàm aptiſsime cohæreant. Vocalium concurſum ſuo more uitat, ne orationis hiatum atque ſonum aſperum indecore efficiant: à literarum uaſtitate refugit, ne ſtridant horridius atque obſcœnius: Antitheta crebro confert, quæ numerum oratorium ipſa neceſsitate gignunt, & ſine induſtria conficiunt. Non, ut plærique, infracta & amputata loquitur, finitis & aptis lætatur, mauultq; orationem pariter cum ſententia excurrere, quàm inconditam claudicare, aut inſiſtere. Sic tamen continuandi ſunt & perpetuandi numeri in oratione, ut uerſus ſonum effugiamus. Permixta ſit ita & temperata numeris, ut diſſoluta tantum ne uideatur. Lateat quadrandæ orationis induſtria, ſic miſceantur, ſic temperentur, ſic præteruolent numeri, tantùm ut non fluctuare, & uacillare orationem noſtram ſentiant, qui eam æqua-

Vocalium concurſum uitat Cicero.

Quomodo continuandi numeri in oratione.

liter & conſtanter ingredi cupiunt, anguſtam conci-
ſamq́ uerborum ſtructuram odere. Nihil fiat extra modum: ne poëma componere exiſtimemur, poëmatis ſimilitudinem uitemus. Sic numeros obſeruemus, ut non toti è numeris conſtare, ſed ne numeros aſpernari aut negligere: ut non ambitum illum nimiùm amplecti, ſed ne abijcere ijs dicamur, qui neque agreſtes, neque inhumanas, neque ruſticas aures habent. Non quibuslibet generatim partibus numeri interſerantur, numeris tantum terminetur ſententia, numeroſè ſolum cadat uniuerſa orationis ſpecies: non à numeris uacet, in quo aures acquieſcunt, uerborum comprehenſionis exitus. Cæterum, ne, quod oratorium numerum efficit, ſilentio tacitus prætercam, ordini hæc omnis laus tribuenda eſt: quo, ut par eſt, ſeruato, omnia numeroſè atque iucundè fluunt, quo paulum commutato, iiſdem uerbis, eadem ſtante ſententia, ad nihilum omnia recidunt, dilabunturq́ perplexa & obſcuritate infuſcata. Quem cùm Ciceronis lectione cognitum atque animo comprehenſum habebimus, tum illud non ignorabimus, quibus rebus locisq́ conueniat numeroſa oratio, quibus item orationis partibus proprius ſit & congruus uel dactylus, uel anapeſtus, uel ſpondæus, uel trochæus, uel iambus, uel pæon, uel creticus, uel dochimus uel dichoreus. Itaque, quod eſt pulchrè & oratoriè dicere, uerbis lectiſsimis loqui, ſententijs optimis uti, orationem molliter æquabiliterq́ ſtruere, cum nos doceat Cicero

Ordo numeros oratorios efficit.

Vſitati orationis ſolutæ pedes.

Cicero, quid aliorum nugas sordesq; sectemur, quid expetamus? quid uel pili faciamus? Hactenus mihi uideor, de imitatione, quæ sentirem, potissimum dixisse: si quid præterea est, admoneri me abs te non pœnitebit. MOR. Admonebo, si quid occurret, sed nunc id potius. Ciceronem unum ut imitandum fatear, non tamen quibuslibet ingenijs congruit Tulliana phrasis: sic malè cessura sit affectatio. Deinde si desint naturæ uires, ut inimitabilem dicendi felicitatem assequaris, quid stultius, quàm in eo discrutiari, quod non potest contingere? VILL. Tullianam phrasin quibuslibet ingenijs non congruere prudenter colligis, Erasmo modo congruit nullo, Tullianæ dictionis fugitantiori: quibuslibet tamen conuenit Latinæ linguæ cupidis, quicq; id in optatis & uotis habent, purè, splendidè, ornatè, copiosè, grauiterq; dicere. Cicerone oblectantur, nec unum è multis reperiunt alendis explendisq; præclaris ingenijs aut aptiorem, aut accommodatiorem. Neque mediusfidius quenquam mihi probaris, frustra Ciceronis imitationi deditum. Imitari Ciceronem, eundem semper, & sibi perpetuo constantem facilius multo queas, quàm scriptores alios stilo uario & dissipato. Neminem ullum ab assidua Ciceronis lectione, omni laude uacuum redire spectes: Refert alius uerborum elegantiam & copiam, alius compositionis suauitatem, alius orationis acumen, unus omnia eximiè Longolius. MOR. Nec materiæ cuiuis, nec personis omnibus

Nemo frustra Ciceronis lectioni deditus.

bus congruit, et, si congrueret, quædam negligere præstat, quàm nimio parare. Si M. Tullio tanti con stitisset sua facūdia, quanti nobis, aliqua ex parte ne glexisset orationis ornamenta. Nimio uero paratur, quod tāto ætatis, ualetudinis, ac uitæ etiā dispendio emitur: nimio paratur, cuius gratia disciplinas cogni tu magis necessarias negligimus. Deniq; nimio para tur, quod pietatis iactura quæritur. Si ideo discitur eloquentia, ut delectemus ociosos, quid attinet rem scęnicam tot uigilijs perdiscere? Sin ut persuadeamus quæ sunt honesta, efficacius dixit Phocion Athenien sis, quàm Demosthenes: sæpius persuasit, M. Cato Vticensis, quàm M. Tullius. Iam si in hoc paratur eloquentia, ut scripta nostra terantur manibus homi num, etsi citra studium contingeret Ciceronianæ di ctionis similitudo, tamen arte uarietas esset affectan da, quæ lectoris nauseantis stomacho mederetur. Tantam uim habet in rebus humanis uarietas ut nec optimis semper expediat uti. VILL. Deum im mortalem, quàm hic sui similis Erasmus, quàm bene dicendi insuetus, quàm ineptus. Eloquentiam simul cum eloquētiæ principe & contemnendam, & abijciē dam monet, cum re scęnica illam fastidiose confert. Sed accipito ad singula. Non materiæ (inquis) cui uis nec personis omnibus conuenit Tulliana phra

Simile. sis. Sanè ut ex ijsdem coloribus pictor uel Hercu lem, uel Achillem, uel Stentorem, uel Thersitem, uel Helenam, uel Ceruum, uel Simiàm, uel Gruem, uel

Pigar

Pigargum, uel Muſcam, uel Formicam, uel Colu-brum, uel Montem, uel Cœlum pingere poteſt: ita Tulliana Phraſis, id eſt, linguæ Latinæ ubertas, ſplendor, puritas, ad res quaſuis quadrare non poſ-ſit. Quis iſtud quæſo præter Eraſmum? An ut Tul-liana phraſi rectè aptéque utamur, Catilina, Verre, Vatinio teſte, Piſone, Philippo, Salluſtio, Clodio uno aliquo opus ſit, in quos inuehamur, debacche-mur, torrentem noſtram eloquentiam deriuemus atque exhauriamus? An Pompeius, Cæſar, Milo, Marcellus, Ligarius, Sextius, Balbus, Cecinna, Silla, Cluentius, Rabirius, Deiotarus reuiuiſcat ne-ceſſe eſt, ut in laudatione, defenſione, infirmatione, diſputatione, Tullianã phraſim referamus? An lau-de dignis uiris, an flagitioſis, an reis & ſontibus noſtra caret ætas, in quibus uel laudandis, uel de-fendendis, uel in fidem noſtram recipiendis, uel cri-minandis, uel accuſandis Tulliana phraſis iaceat? Clodij, Catilinæ'ue perſonam depelle, an non ea-dem, quibus illi cooperti erant, manent flagitia? an non eadem ſcelera? Milonis nomen omitte. An qui eadẽ uirtute ſint & animi fortitudine, noſtra ętate nõ reperias? an non in deliberationem noſtro etiam tempore res uocantur, de quibus diſceptare phraſi Tulliana integrum ſit? In ſumma, Tulliano eloquio qui abundet, latum habet perpetuò campum, in quo Tullianam phraſim aptè commodéque & pro-fundat & explicet. Quòd ſi res ſacras tractet, de-

ſintq; apud Tullium nomina noſtræ ætati nota, ea ſuo iudicio aliunde quærat, Ciceronis uim, neruos, prudentiam, acumenq; imitetur. Non ea noſtra eſt Tulliani moris ignoratio, ut illum uoces quaſdam, quæ linguæ Latinæ deerant, à Græcis mutuatum, cùm de philoſophia ſcriberet, neſciamus, ſcimus id etiam certò, Ciceronianam imitationem uerborum religione non contineri: dictionis puritate & ſplendore, ſententiarum grauitate, ſuaui & numeroſa oratione, illam quidem metimur atque æſtimamus. Nimiò uero paratur, quod tanto ætatis, ualetudinis, ac uitæ etiam diſpendio emitur. Eraſmum audite, adoleſcentes clariſsimi, Eraſmo auſcultate, Eraſmi conſilio ſubſcribite. Heu miſeros atque infelices: Ciceronianam imitationem ne affectate, Ciceronis lectioni ne operam date, Ciceronem abijcite. Aetatis, ualetudinis, uitæ etiam diſpendium adfert, diſciplinarum ignorationem inducit, pietatis ſtudium extinguit. Peſtem ingeniorum teterrimam, luem nefariam, perniciem inauditam. Ob nimium impuri monſtri ſtudium, ægra & infirma ualetudine fuit Longolius, ſpiritum miſere duxit Longolius, occidit præproperè Longolius, diſciplinas magis neceſſarias, Cicerone uno contentus, neglexit Longolius. His, niſi mea me fallit opinio, uocibus libens Eraſmus odium ſuum diuturnum, quod in Longolium inueteratum habet, paſceret atque ſatiaret, inuidiam ſuam ijs cupidè uocibus ſaturaret:

Voces quaſdam à Græcis mutuatus eſt Cicero, cũ de philoſophia ſcriberet.

Ironia.

ret: Sed inuidi animi crimen horret, maledici nomen uitat, nec opinantem clanculum ferire mauult. Luce tamen iſta clarius inſpicitur uerſutum ſenis conſilium, quorſum hæc, ſentimus omnes atque prouidemus. Animo maleuolo obſequitur maleuolus, falſa de inimico prædicat. Nimirum quis Eraſmo credat, Longolium Ciceronis imitatione extinctum, uel extingui quenquam poſſe? quis Ciceronis Lectione ætatem minui, aut ualetudinem attentari, quis morbum contrahi, ut putet, ab Eraſmo adducetur? an cum ad Ciceronem nos componimus, medicamenta, herbæ, potiones, aut alia, quæ ualetudinis integritati officiant, magis opus ſunt, quàm aſsidua, eáque grata, & uoluptatis plena lectio, quam iucunditatis plena exercitatio? An iuſtum nobis alimentum ſubſtrahendum? an parcè & duriter uiuendum? an ſobrietate corpus attenuandum? an à cibo lautiori, uinoq; ſapidiori abſtinendum? an genio non indulgendum? an ioco & ludo non uacandum? an domi latendum? an perpetuò inuigilandum? laborandum? inſudandum? an ea denique facienda, quę corporis habitum deprauent? quæ macerent? quibus natura langueat? quibus uita abrumpatur? Nihil eſt, More, quare his nominibus inuidiam Ciceronianæ imitationi Eraſmus facere, aut concitare conetur. Accuratè quidem & diligenter ad tam acuti & exacti oratoris lectionem in-

cumbendum eſt, ad uiuum exploranda atque inueſtiganda omnia, ſedulò conſyderanda, perpendenda, & ponderanda omnia, ſed nihil tamen ita intenta cura, aut tam anxie atq; laborioſè, ut aliqua fiat ualetudinis offenſio, aut ut morbo implicemur. Studiorum laborem, uel, ſi ita appellare libet, triſtitiam hilaritate condire, remittere, intermittere, animos relaxare nouere docti.

Corpus bene curatum poſtulant literæ.

Corpus bene curatum, & liberius educatum poſtulant literæ, uictum paulo delicatiorem & unctiorem amant, languidiorem corporis conſtitutionem non tolerant, opimiorem poſcunt: triſtem animum aut tædio affectum repudiant, angorem à ſe arcent. Sic Longolius & animo & corpore comparatus, diu Ciceroni ſtuduit, neque eam ob rem in morbum incidit: naturæ perſoluit, cùm uitam uelut precariò datam repoſcere uiſa eſt, celerius fortaſſe, quàm debuit, ſed non citius, quàm potuit. Poterat uel ad natalem diem uixdum ſpirantem è medio tollere, ea lege atque conditione natum, qua in hoc mortale diuerſorium illabimur, unum aut item alterum fabulæ humanæ actum ſpectaturi, ac mox ad primum naturæ imperantis nutum è theatro ceſſuri, eòque redituri, unde paulò ante clam huc adrepſerimus.

Ad naturæ nutũ è uita excedimus.

Ceſſet igitur Eraſmus Tullianæ imitationi fraudi importunè uertere, quod natura iubente accidit. Ceſſet iuuentutem ualetudinis & mortis denuntiatione à Cicerone reuocare. Ceſſet iactitare in Cicerone imitando no

bis

bis per ſocordiam ſalutem, tempus, ætatem, ingenium defluere. Corporis habitui nihil obeſt Ciceronis lectio, animo & ingenio prodeſt: ualetudinem nō offendit, uoluptatem adfert. Commoda ſexcenta inuehit, damnum nullum, diſpendium nullum neque ingenij, neque ætatis importat: nomen illuſtrat, gloriam conciliat, facundiam addit: cuius facultas pluris Ciceroni conſtitit, quàm reputat Eraſmus. Neglecto uitæ diſcrimine, prætermiſſa patrię charitate, poſt habita negotiorum ac rei familiaris ratione, Athenas profectus eſt: illic ſe diu excoluit, ſuam illic eloquentiam auxit, ſtili ubertatem & laſciuiam multa diligentia & labore depauit: Molonem & Philonem pluribus annis audiuit, nihil non expertus eſt, nihil non ſubijt, nihil non pertulit, ut ad ſummam eloquentiæ laudem adſpiraret. Eam nunc illi uel ſtertenti obueniſſe, eam nunc illi nullo labore aut diligentia, nulla exercitatione conſtitiſſe clamet Eraſmus. Conſtitit, quanti conſtare poteſt, neque, ſi ſciuiſſet alia eſſe orationis ornamenta, quam quibus totus ſplendet, labori aut ualetudini peperciſſet, ut præſtanti illa laude eſſet cumulatior. Comparatam immenſis laboribus, & acerrimis exercitationibus, tum ſumma induſtria abſolutam & perfectam, nobis per manus tradidit, nobis reliquit: quam ſtudioſe ſequamur, quam tota mente atque omni animo intueamur, quam, ſi fieri ullo modo poteſt, quod nullo planè poteſt, animoſè æmulemur. At nimio paratur, cuius gratia diſciplinas

Quantum Ciceroni ſtudium & labor in eloquentia comparanda.

cognitu magis neceſſarias negligimus. Quid ad huius uocis inſolentiam atque indignitatem addi poteſt? quem impedijt Ciceronis imitatio, dialecticorũ ſcientiam ne diſceret, aut omnes philoſophię locos ne nôſſe uellet? Phyſicis ne delectaretur? Geometriæ ne operam daret: Ius ciuile ne teneret? rerum geſtarum & memoriæ ueteris ordinem, imperioſorum populorum & regum illuſtrium bella audire ne expeteret? Quis hæc dicendi facultati uicina atque finitima à Cicerone uocari, quis ad ea diſcẽda nos à Cicerone cõmonefieri neſcit? Id Cicero facit ſcilicet, id eius lectio ſuadet, hanc nobis dat mentem eius imitatio, ut loquaces tantum haberi uelimus, nõ diſciplinarum omniũ cognitione inſtrui cupiamus: ut inanem uerborum ſtrepitum amemus, rerum ſcientiam negligamus. Enimuero theologi apud Ciceronẽ nihil: facile aſſentior. Pietatis igitur nihil: nego. Pietatis colendæ prę ceptis inſtitutiſq; uix careat, qui tanto Philoſophiam ſtudio amoreq; complexus eſt. Chriſtum non loquitur: Ignotum loqui non potuit, à Chriſti lege non omnino aliena aut remota pluribus locis ſcribit. Suis ad philoſophiam colendam adhortationibus, plus religionis, plus uitæ candoris integritatiſq; ille nobis inſtillat, quàm theologica ſua garrulitate Eraſmus. Nullum nobis theologiæ inſtitutum deeſt, Chriſto ſi credimus, & fidem habemus. Quid attinet rem tot ſuperuacaneis ſcriptis ſuadere, quam amplecti, niſi autore & ſuaſore Chriſto, nemo poſsit? in qua nec con

Chriſtũ ſibi ignotum loqui nõ potuit Cicero, ſed à Chriſti lege nõ aliena ſcripſit.

firmam

firmamur, quam nec ritè nec ordine colimus, nec retinemus, ſtimulum niſi inſiſtentibus Chriſtus ad-moueat? dubitantes niſi impellat atque incitet? Iam deſinat Eraſmus theologiæ ſtudium ſibi in gloria am bitioſius ponere, ſuas in theologiam operas laboresq́ꝫ uenditare putidiuſculum arbitretur, inanes eos prorſus, & fructu omni carentes. Reſpondeat hîc potius, qua inſania atque amentia, ideo diſci eloquentiam ſcribit, ut ocioſos tantū oblectemus. Planè de ſuo omnes ingenio pendit. Otioſis tantùm mulierculis, & plebi inconditæ, quia ſuis ſcriptis & nugis riſum mouere atque ſatisfacere ſemper laborauit, quia ſcurram agere tantùm nouit, eloquentiam ſic factam putat, ut otioſis ſolum gratificetur & inſeruiat. Sin, inquit, in hoc diſcitur, ut perſuadeamus quæ ſunt honeſta, efficatius dixit Phocion Athenienſis, quàm Demoſthenes: ſæpius perſuaſit Cato Vticenſis, quàm M. Tullius. Quibus in cauſis, More, tanta fuit Phocionis, Catonis'ue in perſuadendo felicitas? an in Milonis, an in Ligarij, an in Marcelli, an in Syllæ defenſione? an in Verris accuſatione? an in rei alicuius capite tuendo, aut in ſalute cuiuſquam ſeruanda? Perſuaſit uterque ſæpe, ſed res, quę adhortatione potius, quàm perſuaſione indigerent, Reipublicę commodis per ſe quidem utiles, populares, gratioſæ. Sed quos iudiciorum laqueis irretitos, toties expedierunt? quos toties de reis exemerunt? quibus toties ſalutarem literam procurarunt? quos toties ſuo patrocinio abſo-

lutos ſordidatæ clientum affiniumq́ cohorti, quos gementi uxori, quos plangentibus & ſupplicibus liberis obtulerunt? quorum toties dignitatem atque exiſtimationem, ſalutemq́ ſua eloquentia tutati ſunt? An pro ligario cauſam dixit Cato? an illi in Cæſaris odium iramq́ ſuppetias tulit? an illum in deſperatis & perditis habitum erexit? an Cæſarem pernicioſe & atrociter de illo cogitantem mitigauit? an leniuit? an placauit? an Cæſaris ſtomachum & indignationem in manſuetudinem miſericordiamq́ conuertit? an codicillos abijcere coëgit? Quanta hæc perſuaſionis exempla? quàm illuſtria documenta? quàm eximiæ egregiæq́ ſignificationes? an hoc fateri dubitabit Eraſmus. MOR. Fatebitur fortaſſe, ut ne de re leuiori pertinacius digladietur, ſed quod proximè dixi, actutum obijciet. VILL. Quid iſtud rei eſt? è memoria mihi effluxit: iterare meo rogatu potes. MOR. Iterabo bona aurium & uenia & pace, quæ hoc iam ſemel à me hauſerunt, ſed tibi morem geri libet. VILL. Dic modo. MOR. Tantam uim habet in rebus humanis uarietas, ut nec optimis ſemper expediat uti, nec alio nomine magis commendatur Homerus & Horatius, quàm quòd rerum, ac figurarum admirabili uarietate, non ſinunt oboriri tædium lectionis. Ad hanc nos natura quodammodo finxit, ſuum cuiq́ tribuens ingenium, ut uix duos reperias, qui eadem uel poſsint uel ament. Iam cùm nihil ſit humano ſtomacho delicatius, aut

Oratio pro Ligario quàm efficax fuit.

faſtidio

faſtidioſius, tum ad eruditionem parandam tantum uoluminum nobis ſit deuorandum, quis poſſet in perpetua lectione perdurare, ſi cunctorum eſſet idem ſtilus, ac ſimilis dictio? Præſtat igitur ut in epulis, ita & in ſcriptis eſſe quædam deteriora, quàm per omnia ſimilia. Qualis autem eſſet ille conuiuator, qui cùm plurimos acciperet, inter quos uix duo palati iudicio conſentirent, cibos apponeret omnes eodem more condîtos, etiam ſi delicias Appicianas apponeret? Nunc dum alius alio dicendi genere capitur, fit ut nihil non legatur. Vt ne repetam ipſam quoque naturam repugnare iſti affectationi, quæ uoluit orationem eſſe ſpeculum animi. Porrò cùm tanta ſit ingeniorum diſſimilitudo, quãta uix eſt formarum aut uocum, mendax erit ſpeculum, niſi natiuam referat mentis imaginem: & hoc ipſum eſt, quod imprimis delectat lectorem, ex oratione ſcriptoris affectus, indolem, ſenſum, ingeniúmque cognoſcere, nihilominus quàm ſi complures annos cùm illo conſuetudinem egeris. Et hinc diuerſorum tam diuerſa erga librorum ſcriptores ſtudia, prout quenque genius cognatus aut alienus, uel conciliat, uel abducit: haud aliter, quàm in formis corporum alia ſpecies alium delectat, offendítue. Dicam quid mihi contigerit. Adoleſcens adamabam poëtas omnes, uerum ſimulatque ſum Horatio factus familiarior, præ hoc omnes cæteri putere cœperunt, alioqui per ſe mirabiles. Quid exiſtimas in cauſa fuiſſe? niſi genio-

rum arcanam quandam affinitatem, quæ in mutis illis literis agnoſcitur. Hoc genuinum ac natiuum non ſpirat in oratione, nihil niſi Ciceronem exprimentium. Quid quòd probi uiri, quanquam parum felici forma nati ſunt, nolint tamen appoſita perſona, formoſiſsimi cuiuſpiam mentiri ſpeciem, ac ne pingi quidem alia forma ſuſtineant, quàm dedit natura, quòd turpe ſit mentita facie imponere cuiquam, & ridicula res ſit mendax ſpeculum, aut aſſentatrix imago. VILLAN. Doleo tantum eſſe in Eraſmo garrulitatis ſtudium, ut inepta quouis loco fundat, & abſurda impudenter loquatur, ſed hoc me magis excruciat, tui te & inſtituti & promiſsi tam breui oblitum, ut, quod te minimè facturum, modò receperas, inanem Eraſmi ſermonem inculces, & hanc nobis moleſtiam exhibere nihil prorſus uerearis. Quid in dicendo aut in ſcribendo uarietatem tantopere laudari attinet? Num quando uariè dicta & ſcripta ex omnibus maximè delectare & placere quiſquam mortalium dubitauit? Inſigni uarietatis laude commendentur & Homerus & Horatius, ea uoluptate lectores capiant, ea iucunditate ad ſe alliciant, an minor in Ciceronis libris uarietas? an productior rerum omnium ſimilitudo? ad quem ſi te componas, in quo ſi totus ſis, cui ſi hæreas, quid uetabit, quominus pictorum more, qui ex eodem colorum apparatu eandem propoſitam formam, uariè pro ſua quiſque arte & uoluntate reddunt, tu uer-

borum

borum proprietatem & elegantiam ab illo ſumas,ac ita uariè rem ipſam diſtinguas & tractes, ut tuo, non aliunde aſſumpto uti uidearis? Nunquid minus uariam naturam eſſe dicas, quòd in humano corpore effingendo, uno ſemper loco labra, naſum, oculos brachia, ſtomachum, manus, & omnia ſeparatim membra conſtituat? an quòd unum & idem perpetuò os homini atque fœminæ inijciat, minus uaria cenſeatur? Varia eſt & diuerſa, quanquam eadem ſemper forma humanum corpus quadret, ſed notis quibuſdam diſtinctum atque uariatum, aliud quidem breuiori ſtatura, aliud proceriori, aliud Labris promiſsioribus, contractioribus aliud, aliud habitu ſtrigoſiori, graciliore'que, aliud magis læto & curatiore. Non ſecus, qui in Cicerone uerſatur, eadem ſemper uerba uſurpet neceſſe eſt, ſed ad rem ſuſceptam ita diuerſè accommodata, ut ſimul Latinè, purè, eleganter, propriè, aptè, ornatè, copioſè, denique Tullianè loquatur, & uariè, ut nihil repetitum, aut plus ſemel dictum iudices. M. Antonium, Craſſum, Catulum, Cæſarem, Ciceronem, Hortenſium, fac in uiuis eſſe, & illos pro reo aliquo defenſionem efflagita, eamq; officioſe ſuſcipiant, & ſordidato reo atque ad pedes prouoluto patrocinium præſtare uelint, nunquid Latinè loqui uolentibus, alia, quàm quæ in linguæ Latinæ uſu ſunt, quærenda erunt uerba, ſchemata, tropi? an ijſdem

uocibus, ſimiliq; omnes dictione non utentur? Simili prorſus, ſed eadem uerborum puritate & elegantia contextam ſuam quiſque orationem pro ingenij & excogitationis uarietate immutabit atque uariabit, ſic mehercule, ut illos ſplendidè, ornatéque, & uariè diuerſéque omnes dixiſſe intelligas. Terſè & uenuſtè ſcripſit Cicero, ad illam ſe uenuſtatem compoſuit Longolius. Terſus igitur uterque & uenuſtus, laudabilis uterque & magnus: quis tamen alterum ab altero diuerſum & uarium neget? quis in utroque eoſdem ſtili ductus ac lineamenta agnoſcat? Eadem uia, qua Longolius, qui Ciceronem inſequetur, uarietatem cumulatè præſtabit, nec accidet, ut Eraſmi ſuaſu ad deteriora deflectat, ne per omnia ſimilis ſit. Nimium continuatæ ſimilitudinis uitium effugiet facilè, qui eo quo Tullius modo, uarius eſſe ſtudebit. Nihil minus fiet, quàm ut conuiuatorem imitetur, qui, cùm plures accipiat palati iudicio diſcrepantes, cibos apponit omnes eodem modo conditos. Rem inſulſam, & à ſolertis prudentisq; hominis arte remotam. Coci potius periti exemplo utetur, qui ex armo ueruecino plura edulia, & diuerſas menſas conficit, aut tam uario iure uitulinam, bouillam'ue condit, ut uel ferinæ, uel pulpamenti, uel carnis fartæ guſtum ſaporémque referat. Sic enim ſe res habet: qui Ciceronem accuratè legerit, & illum exactè imitari conetur, non operoſum eſt, ut ſcriptori uarietatis laude nobili deditus,

deditus,uaria oratione lectorem oblectet atque retineat. Qui copia capiuntur, ijs ubertate satisfaciet: quos breuitas iuuat,pressa & contracta dicendi,si uolet,specie delectabit: qui altum & sublime orationis genus amant, elato & grandi stilo, ab illis gratiam inibit, famamq; oratoris non uulgaris consequetur. Naturam uarietatis studiosam nullo sanè pacto mihi quisquam probaret, nisi nos eiusdem cupidos, & de re qualibet uariè scribendi facultate præditos procreasset. Velit ipsa illa orationem esse speculum animi: an natiuam mentis imaginem oratione, uerborum Ciceronianorum splendore culta atque ornata referre non licebit. Aufert'ne liberam, quæ sentimus,& animo agitamus, dicendi atque scribendi facultatem diuinus ille Romanæ eloquentiæ parens? cùm nos uerborum copia, schematum cumulo, sententiarum grauitate, numerorum oratoriorum suauitate instruit? cùm nos sanctis philosophiæ institutis excolit? Putas'ne ualentem Lanistam,ense expolito impediri,ne corpus in omnes partes ad arbitrium suum uerset,& solita uolubilitate circumsiliat? Ita'ne quoque Ciceronis imitatione mentis aciem perstringi existimas,aut in certam sententiarum regionem compelli,ut ex ea egredi uetitũ sit & nefas? Non grauatim dabo,prout quenque genius cognatus, aut alienus, uel conciliat,uel abducit,ita nostra esse erga librorum scriptores studia: sed cuius genius Latini eloquij dignitati splendoriq; amicus sit,qua potius, quàm Ci-

ceronis imitatione oblectetur Latinæ facundiæ longe
omnium principis? Haud aliter quàm in formis cor-
porum alia ſpecies, alium delectat, offendit've, in ſcri-
ptorum etiam lucubrationibus plures ſeſe offerunt
ſtili formæ, quibus uariè afficiamur: quis tamen tam
negligẽs & ſocors formarum ſpectator, aut tam igna
rus iudex, ut pluribus uenuſta forma, & liberali uultu
adductis uirginibus, pulchrioris uenuſtioriſq; amore
non incendatur, neglectis ſtatæ formæ cæteris? Non
cognitos habet Eraſmus generoſorum animorum co
natus, & laudabiles cupiditates. Quis excelſo & ela-
to animo, Terſitis aut Stentoris res geſtas, ſibi potius
ſequendas proponat, quàm præclara Achillis aut
Hectoris facinora? quis uelites neſcio quos ignobi-
les & obſcuros imitari malit, quàm ad Scipionis,
Pompeij Cæſariſq; gloriam contendere? quis pro-
inde plebeiorum & triuialium ſcriptorũ nugas ęqua-
re pulchrius præſtantius've arbitretur, quàm ad Ci-
ceronis umbrã uel longo interuallo accedere? quam
inter Ciceronianos reponi? At uero probis, inquit,
uiris graue eſt & religioſum, piaculumq; uidetur,
quanquam parum felici forma natis, appoſita perſo-
na ſpeciem, formoſiſsimi cuiuſpiam mentiri ac ne pin
gi quidem alia forma ſuſtinent, quàm dedit natura.
Incredibilem & inauditam Eraſmi ſimplicitatem: can
didos planè & eximios mores. Iuuat hic Aeſopici
apologi obiter meminiſſe, quo uulpem fingit prędam
aſpernantem, quam aſſequi non poterat. Eo Eraſmus
modo

modo, uir bonus & uerè simplex (hoc si fateantur, qui eum dolis consutum clamant) qua decorari orna riq; nunquam illi concessum est, personam Ciceronianam turpem & parum decentem putat, eamq; probis uiris non conuenire scribit. Verum non sine crimine, & uitio damnat, quod tametsi non assequutus est, iure tamen ab eo laudari, & ad id iuuentutem inflammari debuisse docti omnes arbitrantur. MORVS. Esto istud, ut uis. An ab eruditis merito non ridentur improbi quidam, qui uiros alioqui doctos & eloquentes, ac nominis immortalitate dignos, non alio nomine reijciunt, ac è bibliothecis submouent, nisi quòd se ipsos stilo maluerint exprimere, quàm Ciceronem, cùm imposturæ genus sit teipsum non exprimere, sed alienæ formæ præstigium oculis hominū obijcere? Et haud scio, an multos inuenturi simus, qui totam corporis sui speciem uelint cum aliena commutare: multo pauciores puto esse, qui mentem & ingeniū totum cum alterius ingenio sint permutaturi. Primum quòd nemo uelit alius esse, quam est, deinde, quòd suis quisq; dotibus sic temperatus est naturæ prouidentia, ut etiam si quid adsit uitij, uirtutibus adiunctis paria faciat. Habet animus faciem quandam suam in oratione uelut in speculo relucentem, quam à natiua specie in diuersùm refingere, quid aliud est, quàm in publicum uenire personatum? VILL. Bona certè uerba, & mirè expedita: sed quid ueri aut grauis habent, aut homine sapiente

digni? Principio ſi quis eloquentiæ laude minus forte floreat, uirtute tamen alia, aut recondita aliqua diſciplina atque eruditione clarus ſit, cuius præſtantia & celebritate immortalitatem mereatur, inuentus adhuc nemo eſt tanta amentia aut impudẽtia, qui quem uirtutis nomine ęternũ nouit, poſterorum memoria indignum cenſeat, aut ea tantum cauſa à bibliothecis ſubmoueat, quòd ſcribendo Ciceronem non referat. Sic Plinium utrunque, ſic T. Liuium, ſic Quintilianum, ſic Q. Curtium, ſic Columellam, ſic Iuſtinum, ſic Vitruuium, ſic Vegetium, ac reliquam præclarorum ſcriptorum turbam & colimus, & obſeruamus, tametſi Ciceroniana uel puritate uel elegantia non omnino præſtabilem. Deerat Eraſmo garriendi argumentum hoc niſi ad cæteras nugas adiecisſet, improbos eſſe quoſdam, qui uiros alioqui doctos è bibliothecis ſubmouerẽt, quòd ſeipſos ſtilo exprimere maluerint, quàm Ciceronem. Vel alio, quantum ego iudicare poſſum, aſtu calliditateq; in hunc locum incurrit, ut quos ſibi non ſatis æquos ſentit, iſto riſu, uelut telo feriat, terreatq;, ne Eraſmi nomẽ minus aut ſuſpitiãt, aut admirẽtur, quòd totus à Tulliana phraſi abhorreat, blateretq; ridiculè potius, quàm Latinę linguæ candore & Ciceronis grauitate utatur. Putauit enim homo multi conſilij, & pij animi, impoſturæ genus eſſe, ſeipſum non exprimere, alienæ formæ præſtigium obijcere: quaſi uero, qui Ciceroni imitando ſtudeat, non ſeipſum, ut ante diximus, liberè quidem expri

Ironia.

exprimat, aut ingenium, quod Eraſmus inſulſè & abſurdè ſcribit, mentemq́; ſuam totam, cum alterius ingenio permutet. Proinde cuius eſt hæc, niſi dementis & inſipientis, ſententia? alium eſſe, quàm eſt, uelle neminem. Repugnat tam ineptę uoci, ſapientum prudentia, qui conſilium ad tempus ſubinde mutant, & quod è re ſua atque exiſtimatione eſt, aliunde petere non dubitant. At in publicum perſonatum uenire non reprehenſione aut uitio caret. Quam perſonam geſtat More, qui ſana mente & integro animo, Tulliana eloquētia ornatus in publicum prodit? eum'ne quiſquam ſubſannet? eum'ne quiſquam rideat? Nemo ita comptum, perſonatum exiſtimat, ſed, qui prudentiſsimo cuiq́; & uirtutis ſtudioſiſsimo proprius eſt, eo ornatu expolitum recognoſcit. Hic uero de te ſciſcitari non ineptum ſit aut alienum: quoniam ſcriptorum imitationem, laruam perſonámque appellat Eraſmus, qua perſona ornatus in publicum uenit? Duplici ea quidem, & utraque deformi atque horrida, neq; inter doctos ſatis tolerabili. Verborum perſonam (da nos ita loqui poſſe, licet aſperè & nouè) Horatij Hemiſtichijs, Apulei impuris uocibus, Beroaldi adagijs, ſibi ipſe confecit, tandem poſt inanes labores in eum modum ſtilo inquinatus, quo leproſi facies, maculis tum marcentibus, tum pallentibus & ſanie immunda plenis, turpiter miſereq́; fœdata. Sententiarum Laruam (hic etiam uerbi ueniam à te peto) unde niſi à Luciano aſſumpſit, autore omnium ma-

m ximè

ximè dicaci & conuitioso, religionis experti, dei ignaro, & ad omnia tum sacra, tum profana ridenda proiecto. Falleris uerò, hic si à me expectas, ut, qui potissimum loci, Erasmum dicacitatis, editicq; liberius & insolentius in multa risus arguunt, ex eius scriptis nominatim eliciam, atque in apertum proferam. Leuiori hominis iudicio dum in hoc genere aduersor, & opinionem infirmo, commissum à me nolim, ut huius existimationem acerbius oppugnare, impotentius'ue labefactare uideam: solum id probare suaderecq; adnitor, qui alijs turpe esse scribit, Ciceronianè personatum in publicum uenire, eum ipsum turpius obscœniusq; personatū in scænam iam diu prodijsse. At me diutius ne teneto, quid in summa Erasmus de imitatione sentiat, breuibus explica. MOR. Amplectitur imitationem, sed quę adiuuet naturam, non uiolet: quæ corrigat illius dotes, non obruat: probat imitationē, sed ad exemplum ingenio imitatoris congruens, aut certè non repugnans, ne uideamur cum Gigantibus θεομαχεῖν. Rursus imitationem probat non uni addictam præscripto, à cuius literis non ausis discedere, sed ex omnibus autoribus, aut certè præstantissimis, quid in quocq; præcellit maximè, tuocq; congruit ingenio, decerpentē, nec statim attexentem orationi, quicquid occurrit bellum, sed in ipsum animū uelut in stomachum traijcientem, ut transfusum in uænas ex ingenio tuo natum, non aliunde emendicatum esse uideatur, ac mentis naturæcq; tuæ uigorem &

rem & indolem ſpiret, ut qui legit, non agnoſcat emblema Ciceroni detractum, ſed fœtum è tuo natum cerebro, quemadmodum aiunt Palladem è cerebro Iouis, uiuam parentis imaginem referentem: nec oratio tua cento quiſpiam ſit, aut opus muſaicum, ſed ſpirans imago tui pectoris, aut amnis è fonte cordis tui promanans. Sit autem prima præcipuaq́ cura penitus cognoſcendæ rei, quam tractandam ſuſcipias. Ea tibi ſuppeditabit orationis copiam, ſuppeditabit affectus ueros & natiuos. Ita demum fiet, ut tua uiuat, ſpiret, agat, moueat & rapiat oratio, teq́ totum exprimat. VILL. Deſperaram tanto in Longolium odio ſuffuſum ſenem, & inuidia inſanum, recti quicquam tandem eloqui poſſe, quem hoc loco reſipiſcere gaudeo, & non abſurdam omnino de imitatione ſententiam ferre ipſe uideo. Doctè monet & probè, quos ita ad imitationem hortatur, ut non quicquid arridet, orationi continuò attexant, ſed quæ ad imitationem à ſcriptoribus ſumunt, in ſtomachum traijciant, & bene concoquant, ut tranſmiſſum in uænas, uelut noſtrum renaſcatur, non uideatur aliunde corrogatum. Placent quę in eam rationem eruditè diſputat: diſplicet hoc tamen, & recti iudicij opinionem, quam ille mihi commouerat, plurimum certè fallit. Diſplicet mehercule quod imperitè ſuadet, ex omnibus generatim autoribus comparandam imitationē. Omnes ſummo ſtudio & diligentia legendos, ex ijs, quæ ſplendidiora ſunt, colligenda non repugno,

unum Ciceronem imitandum aſſero, niſi nobis illud
accidere uelimus, quod ĳs, ut uidere eſt, frequenter
accidit, qui, cum uitam partim Romæ, partim Lute-
tiæ Pariſiorum, partim Londini, Partim Friburgi
egerint, neque Romanæ tandem, neque Gallicè, ne-
que Britannicè, neque Germanicè, exactè aut purè
ſciunt, ineptè omnia loquuntur & balbutiunt. MO.
Tu'ne tamen iſtorum ſuperſtitionem, dicam an amen
tiam? in Cicerone imitando laudas, qui ne peruulga-
tis quidem dictionibus utantur, niſi conſulto codice,
quē ſibi ex peculiaribus Ciceronis locutionibus con-
ſcribunt? qui nec grãmaticis præceptionibus fidunt,
nec Terentĳ, aut æquè probati autoris uerba reci-
piunt, qui non hyberna nocte unicam epiſtolę perio-
dum abſoluunt, quibus prima cautio eſt, ne cui Lati
nè loquantur: qui uerba nunquam ſine longa præ-
meditatione faciunt, qui ex Cicerone excerptas &
concinnatas formulas ſermonis habent, aut ad ſalu-
tandum, aut ad reſalutandum, aut ad gratulandum
longinqua ex peregrinatione reduci, ſiue ex graui
ęgrotatione rediuiuo, aut ad agendas gratias ei, qui
beneficium contulit, aut ad bene precandum ei, qui
nuper uxorem duxit, aut ad eius, cui uxor interĳt,
deplorandum caſum paratas, quas prætergredi ne-
farium & ſceleſtum ducant? VILL. Iſta ab Eraſmo
maleuolè collecta non ignoro, ut Ciceronianorum ri
deret diligentiã, & gloriam minueret. Qui tam angu-
ſta & ſuperſtitioſa ſcribendi loquendi'ue ſollicitudine
illig

illigetur, nemo Ciceronianum iudicat, neque etiam, qui Ciceronis lectione oblectetur, & tam diuini scriptoris uim ubertatemq́ perceperit, illis ineptijs ridiculum se præbet, rerum copia, & sententiarum uarietate abundantissimus, ipsaq́ uerborum compositione non impolitus, & æquabili in scribendo lenitate profluens. Terentij uerbum repudiandum prorsus nullum moneo, quòd magis ad orationis solutæ libertatẽ, quàm ad carminis seruitutẽ accedat, quodq́ potius in compositionis seriem & ordinem cum lenitate illabatur, quàm stridens cum strepitu præcipitet, atque quod cum alijs suo loco eleganter uenusteq́ consistat, & penè lateat, non uelut nouum, aut ut ab extranea aliqua colonia emigrans, inter alia notari deprehendi'ue possit. Reliquorum autorum uocibus uti, nulla uiro docto religio est, in ciuitatem certè Romanam admissis, non peregrinis, & nimia uetustate, sicuti uino, non fugientibus, aut acescentibus: quis enim delicato palato insipida non fastidiat? quis acerba non respuat? quis putrida non oderit? similia qui fugiet, exactum & rectum Ciceronis iudicium in uerborum delectu imitari existimabo: recepta & usu cõprobata uulgataq́ qui morosè negliget, eam, qua maximè excellit Cicero, uerborum copiam & fœcunditatem ridiculè aspernari prædicabo. Promptam uero & expeditam loquendi facultatem tam uehementer laudo, quàm qui uehementissimè, sed ea præditos paucos admodum noui; neque certè ulla aut naturè

Terentij uerba non fugiẽda sunt modo orationi solutæ conueniant.

De prompta loquendi facultate.

m 3 felici

felicitate, aut ſtudiȷ̃ uehementia, aut ingeniȷ̃ & memo-
riæ magnitudine, aut ulla exercitatione & uſu fieri in-
telligas, ut tam doctè & eleganter ex tempore loqua-
mur, quàm quieti & ocioſi poſt multam excogitatio-
nem ſcribimus. Pleniora ſunt & uberiora quę chartis
reponimus, quàm quæ inter nos confabulamur: ſti-
lum cogitatio alit & auget, formaturq́; meditatione
oratio, & ad habitum uenuſtiorem adoleſcit. Quare
qui ſibi ne uel uerbum quidem, aut non ſatis pro-
prium, aut malè collocatū & aſperius cadens, aut ru-
dius prolatum excidat, & metuūt & cauent, amantq́;
perpetuam ſtili æquabilitatem & inoffenſum oratio-
nis curſum, non ita libenter, neque niſi neceſſario
lingua Latina utuntur, uitantq́; odioſè illius oſtenta-
tionis ſuſpitionem, in quam iure incidunt, qui, ne pa-
rum familiarem & domeſticum habere Latinum ſer-
monem cenſeantur, canes etiam & bruta Latinè allo-
quuntur, ſeruos & fœminas linguæ Latinæ rudes,
Latinè compellant, omnia denique Latinè effutiunt.
Quam damnandam & ridiculam conſuetudinem nō
abs re execrantur eloquentiæ ſtudioſi, quodq́; præ-
meditatum & longa cogitatione accuratum ſit, De-
moſthenis exemplo eloqui malunt, quàm inconſulto
& imprudenter Latinum ſermonē ad omnia proiȷ̃ce-
Budæus. re. Hoc Budæum Galliæ lumen, uirumq́; omni lau-
Eraſmus. de maiorem factitare audimus, quod Eraſmo igno-
tum credimus, cuius ſtomacho oneri eſt & nauſeæ,
uerborum ſentētiarumq́; pondus & grauitas; omnia
euomit

euomit cruditate coactus, nihil decoquit frigiditate concretus & exanguis. Attulit hoc profecto Germanis uitium nimia illa Latinè loquendi cupiditas, & quotidianus usus, ut doctius multo tersiusq; uerba faciant & loquantur, quàm scribant, nec discriminis quicquam inter eam, quæ scriptis ac lucubrationibus eloquentium inesse debet, grauitatem, & familiare colloquium constituant. Caue autem putes, quanti apud me est, cui utrunque & promptè loquendi, & disertè scribendi munus à natura contigit, tanti esse quenquam. Tanta laude illustres, tanta gloria claros, tanta uirtute cumulatos, pro eo, quòd reliquis excellūt, admiror, sed nec illos quidem pro nihilo confestim duco, aut minus etiam laudo, qui extemporanea eloquentia defecti, raram quandam & admirabilem scribendo facundiam præstant, ac minutulum illud naturę, non hominis uitium maiore uirtute redimūt. MOR. Vera ista quidem & recta. At de Longolio, & mitationis partibus satis iam superq; disputatum sit. Nunc, cui posteriorē anteuertimus, primam dialogi Erasmi partem, quanquā serius, referemus. Non Longolij gloriam minui, nō illius laudes deprimi audies. Marcum illum tuum Ciceronem Arpinatem Oratorem, quem tantopere suspicis, & omnibus uirtutibus spectabilem narras, infantiæ accusari, ac plurium insimulari coarguiq; uitiorum intelliges, illius nomen ita mox obtritum spectabis, ut nec pedes nec caput: illius eloquentiæ famam non solum eleuabo, sed ui-

tam etiam hominis moresꝗ diſcutiam, uiasꝗ omnes perſequar, ut, quem unum imitandum mones, fugiendum abijciendumꝗ probem: tu uide ut his uorandis moleſtijs conſtantem te præbeas, Ciceroniani nominis tam ſtudioſus, & uindex defenſorꝗ acerrimus. VILL. Conſtantem facile me præbebo, & animi grauitatem retinebo, qui ad triuialia Eraſmi conuitia callum iam pridem obduxi, atque obdurui. Non me clam eſt tantam eſſe Eraſmi impudentiam, tantumꝗ maledicendi ſtudium, ut quo ore Longolium ſpoliare contendit, eodem Tullij nomen attentet, nec non contaminare conetur: ſed inſani & furentis uerba refer. MOR. Ego certe id libens. VILL. Audiam haud dubiè libentius, non uoluptatem ex tam acerbis maledictis percepturus ullam, ſed Ciceronis exiſtimationem pro uirili defenſurus, & Eraſmi inſolentiam uerbis, quo ad eius fieri poterit, repreſſurus: tu niſi pro tua in Eraſmum beneuolentia & ſtudio, illos dialogi locos memoria complexus es, memoriterꝗ pronuntiare potes, de ſcripto recita. MOR. Faciam. Etenim tametſi inaudita & incredibili amicitia Eraſmum proſequor, non tanta eſt tamen noſtra, quanta eſt Ciceronianorum tuorum diligentia atque ſedulitas, qui una Ciceronis lectione non contenti, uniuerſos illius locos æquè atque ungues cognitos habēt, & memoriæ curioſè mandant. Mihi cōtra autoris cuiuſuis libros ſemel uoraſſe ſatis eſt, aut inſcriptionem tantum interdum legiſſe. VILL. Nihil mi-

rum

rum, si tam fraternè & tu & Erasmus inuicem amatis, morum similitudine congruentes. Non maiori puto diligentia libros quosuis ab Erasmo, quàm à te legi. Eadem suos leuitate proijcit, qua percurrit alienos. Sed ad rem ueniendum: Longius, quàm licet, digredimur. MOR. Venio. In hac igitur es sententia, nullam in alijs oratoribus esse uirtutem imitatu dignam, quæ non eximia sit in M. Tullio. VILL. Ita prorsus, ut antea disserui. MOR. Nec ullum in hoc esse næuum, qui non maior sit in cæteris. VILL. Sententiam nihil muto, neque hoc concedo, in Cicerone ullum esse næuum. MOR. Non hîc proferam M. Brutum qui totum hoc dicendi genus, quod Ciceroni uisum est optimum, improbauit: cùmque status ac diuisionis propositiones, uelut causæ totius columnæ, præcipua sit orationis pars, in oratione pro Milone, quam adeo suspiciunt omnes, Brutus non probauit primarium ac secundarium causæ statum adhibitum à M. Tullio, sed eandem causam aliter tractauit. Non obijciam Pomponium Atticum, cuius unguiculos ac miniatulas cærulas à se metui scribit Cicero, quibus ille notare solitus est, quæ in M. Tullij scriptis offendebant. Non M. Catonem, qui Ciceronem, cùm sibi maximè festiuus uideretur, ridiculum appellauit. Hactenus & uiros graues, & amicos Ciceronis recẽsui. Hîc si adijciam Gallum, Lartium, Licinium, Cestium, Caluum, Asinium: si Cælium, ac Senecam, si complures alios, qui cùm de Cicero-

n nis ing

nis ingenio non magnificè ſenſerunt, tum orationis genus damnarunt, alijs illum appellantibus aridum, ieiunum, exuccum, exanguem, elumbem, ac diſſolutum, mollem, ac parum uirum: rurſus alijs tumidum, aſiaticum, ac ſuperfluis redundantem: reſpondebis hæc eſſe uel inimicorum, uel inuidorum iudicia, qui iam triumuirali proſcriptione deiecti, famam etiam moliti ſunt, ſi minus extinguere, certe obſcurare. VILLAN. Inuidorum & inimicorum eſſe iudicia quid ni reſpondeã? Verùm alios ab alijs ſecernamus, & ſingulorum de Cicerone opiniones ſeparatim expendamus. Improbauit genus dicendi Brutus, quod optimum Ciceroni uiſum eſt. An uel duos uno dicendi genere oblectari uideas? Suum ſecutus eſt Brutus, Ciceronem non ita magni fecit, Quid? unius'ne Bruti iudicio ſtabimus? illius'ne ſententia Ciceronem improbabimus? reperit in oratione pro Milone, quæ reprehenderet, magis adeo forte, ne parum acutus & ſubtilis uideretur, quàm iuſta & probabili ad reprehendendum cauſa adductus. Purius eſt poſterorum iudicium, Brutum igitur depellamus, & in diuina illa oratione acurate omnia à nobis ponderentur: quid non exactum & abſolutum occurret? Sentio, quod obmurmuraturus ſit Eraſmus: Poſterorum iudicium purius eſſe utique fatebitur: tam exactum, quàm antiquorum fuit præciſè negabit, hocq́ addet, nos tam longo interuallo à perfecto linguæ Latinæ tempore ſeiunctos,

ctos, uix rectè de linguæ Latinæ præstantia & arte rhetorica iudicare posse, Brutum rectius iudicasse. Sanè, si æmulatio atque inuidia, quæ facile inter eiusdem laudis cupidos serpit, ut par erat, abfuisset. Iudicare recte etiam possumus, facilius multo, quàm rem iudicatam assequi, aut tanta esse eloquentiæ magnitudine, quanta antiquos claruisse, memoriæ proditum est. Primarium ac secundarium causæ statum adhibuerit Cicero, quid tamen diuersum à propositione diuisionis notes? quid non consentaneum & quadrans? quid alienum, aut extra ordinem excurrens? An Bruto maleuolè iudicanti fidem, quàm Ciceroni diuinè & supra omnem admirationem atque laudem dicenti, honorem habere malimus? an quod ille leuiter reprehendit, animaduertere quisquam in Cicerone posit? Ciceronianæ laudi detrahere; Bruti reprehensione ridiculè Erasmus conatur, frustra simul & absurdè Pomponij Attici unguiculos & ceras miniatulas obijcit, eas Ciceroni metui fuisse, ineptè scribit. Attici iudicium neque timuit Cicero, neque necessariò subijt. Tantum Attico tribuit, ut se illius castigationi libenter submitteret, ut multa, quæ dubia haberet, neque satis usitata uideret, cum illo communicata uellet: ut illo denique suorum scriptorum uelut canone atque Aristarcho uteretur. Quæ si limatulo uiri tam docti iudicio perpoliri cupijt, aut agrestes simus planè nisi

ſingularem Ciceronis prudentiam conſiliúmque lau demus, aut ſtupidorum & inertium nomen non effugiamus, atque communium literarum & politioris humanitatis expertes uideamur, niſi ab autore tam eleganti elucubrata, & iudice tam eximio elimata magis magiſq; amplexemur, atque omni ex parte abſoluta perfectáque exiſtimemus. Cognoſce autem quàm inſanierint, quantóque maiorem ſuæ leuitatis, quàm ſapientiæ declarandæ cauſam quæſierint, qui, cum de Ciceronis ingenio non ſatis magnificè ſentirent, illum aridum, ieiunum, exuccum: exanguem, elumbem, ac diſſolutum, mollem ac parum uirum: rurſus tumidum, & ſuperfluis redundantem uocarunt. Tuum hîc iudicium Cæſar, tuum illud diuinum iudicium hîc appello. Elumbis'ne atque exanguis fuit tum Tullius, cùm te Ligario atrociter minitantem, ardenti ſua ille oratione, uelut fulmen de cœlo, tetigit? cùm te totum calefecit? cùm te ad lenitatem tardum, ſuis ille aculeis ſubitò pupugit? cum te celeriter commouit? cum te iracundia & furore uallatum derepente expugnauit? Tuam hîc quoque conſcientiam appello Verres: mollem'ne Ciceronem ac parum uirum ſenſiſti, cùm te contra mirabilem illam atque præſtantem Hortenſij facundiam, & reum peregit, & damnandum mulctandúmque iudicibus perſuaſit? Rem ut eſt, explica, &, quod uiri

boni

boni nomen ſemper neglexiſſe uiſus es, hîc nunc am-
bi atque affecta. Elumbem'ne Ciceronem expertus
es, cum tibi impetu tanto inſtaret? cum te uerbis fo-
deret? cum te paſsim uulneraret, cum te uix reſpirare
pateretur? Tua hoc etiam loco M. Antoni mihi im-
ploranda eſt fides atque teſtimonium. Frãge odium,
& te ipſum ſupera: accepti à Cicerone uulneris me-
moriam depone, ueritati, quàm ſimultati inſeruire:
conſtantiæ & grauitati, quàm dolori & animi ægritu
dini obſequi malis. Aridus'ne & exuccus Tullius,
cùm exuperãti illius in te eloquij flumine ſenatus re-
dundaret? cùm te ſuæ facundiæ incremento obrue-
ret? cum te uerborum ſuorum uortice gurgiteq́; de-
primeret? cùm te ab imo conuelleret conuulſumq́;
demergeret? Paulo nimium ſim longus, ſi reorum
ſuffragia recitem, qui Ciceronem omnium copioſiſsi-
ſimum, uberrimum, efficaciſsimum, & in cauſis dicen
dis potentiſsimum clamant, illius patrocinio & defen
ſione abſoluti. Inſuſurrat deinceps mihi in aurem Phi
loſophia, ut, qui Ciceronem aridum uocant, eos ad ſe
allegem, ut quàm fuſè & amplè à Cicerone tractata
literis Latinis fuerit, hoc ipſum neſcientes, certiores fa
ciat: atque hoc certe officio gratiam Ciceroni referat,
qui illi in Græcia tantùm diuerſanti, domeſticas ſedes
apud Latinos parauit, deditq́; ornatum Græco non
ſordidiorem aut abiectiorem. Ex hac ubertatis & fœ-
cunditatis laude, obtrectandi cauſam aucupãtur alij,
ac Ciceronem ut ſuperfluis redundantem & profu-

siorem increpant. Magna est illius oratoris uirtus, quæ tot ad inuidiam obtrectationemq; incendit, nulli certè rei, quàm gloriæ & laudi, tam insidiantem. Nihilo tamen secius à doctis repelluntur, & ridentur, qui Ciceronem nimiæ ubertatis accusant, quàm qui illum aridum & exanguẽ uocant. Copia & ubertate omnes longe superat, breuitate & presso contractoq; dicendi genere, cum res postulat, nemini prorsus cedit. MOR. Tribuantur sanè hæc iudicia uel odio uel liuori. Certe fateberis, opinor, cum eruditis omnibus, facetiam seu risum partem esse artis rethoricæ. VILL. Fateor. MOR. Nemo negat Ciceronem in iocando fuisse multum, alij nimium prædicant, tum intempestiuum, & scurrilitati proximum. Atq; modum illi defuisse, quemadmodũ Demostheni facultatem, doctorum ferè consensus fuit: nec admodum repugnat Quintilianus culpam in Tironem conferens, qui nimium indulserit numero dictorum, ac plus in congerendis studij, quàm in eligendis iudicij adhibuerit. Verum hæc Tironis accusatio in patronum recidit. Sed hæc utcunq; habent, quis unquã in hoc genere laudis primas tribuit M. Tullio? Lacedemoniorum peculiaris hæc erat laus, & secũdum hos, Atticorum. Adeo ut cùm poëma bucolicum & comœdia lepôre facetiaq; potissimum commẽdetur, ad hanc uenerem Latini ne aspirarint quidem. Est igitur aliqua uirtus oratoris, quæ rectius petatur ab alijs, quàm à Cicerone. Audebimus'ne Ciceronis

iocos

iocos cum C. Cæsaris, aut cum Octauij dictis confer-re? Itaque si res festiuitatem desideret, aliquod potius ex Octauij, quàm ex Ciceronis dictis effingã. VII. Est plane oratoris mouere risum, sed quanta sunt ue-nustate aspersi suo loco sales, tam diligenter uideat orator, quatenus à se ridicula tractanda sint, ne scur-rilibus potius iocis & mimicis abundet, quàm facetè dictis animos iudicum apte commodeq́ exhilaret. Tenuissimum ingenij fructum, risum esse nouit Cicero: quamobrem dicacitatis moderatione & tempe-rantia, & raritate dictorum, distingui à scurra in cau-sis uoluit. Præstitit idem, dum diceret, grauitatem & seueritatẽ suam iocos risumq́ nimium uitando: inter amicos & familiares urbanior & dicacior fortè fuit, sed apud quos omnia licent, nec ea causa satis recte ab obtrectatoribus scurrilitatis insimulatus est. Ridicula dicendo miscebat, si beneuolentiam eo sibi modo con ciliandam, si aduersarium ioco frangendum, si urba-nitate impediendum, si eleuandum, si deterrendum, si refutandum: si tristitiam ac seueritatẽ iudicum mi-tigandam & relaxandam, si odiosas res, quas argumẽ tis diluere non poterat risu sibi dissoluendas uidebat: sic tamen omnia, ut in scurrile uitium nunquam dila-beretur, ut politus & urbanus, non ineptè dicax ui-deretur: ut uerborum turpitudinem & rerum obscœ ritatem uitaret, non ingenuitatem ac ruborem suum prostitueret. Denique ut laudabile & honestum, & liberale, ut uenustum, lepidum, elegans, bellum, & li-

teratum: ut acutum & ingenioſum iocandi genus, ut dignum foro, ut iudicum grauiſsimorum auribus dignum ſequeretur: quod ſæpe admirationem magis, quàm riſum moueret. Lacedemonios longe omnibus lepore præſtitiſſe: C. Cæſaris & Octauij ingenia urbanis ſalſiſq; ſermonibus accommodata fuiſſe, nõ tanta eſt mea rerum antiquarum, & hiſtoriarum Romanarum ignoratio, ut quidem neſciam, hoc ſcio tamen certò, & confirmare cum doctis audeo, quod ad hanc artis oratoriæ partem, beneq; dicendi laudem pertinet, nihil Ciceroni neque à natura denegatum, neque à doctrina non delatum fuiſſe, omnia abunde ſuppeditaſſe. MOR. Aliud abs te quæro, Num ſententias ponas inter ornamenta dictionis. VILL. Ornatum maximum orationis eſſe puto. MOR. Per literas, & tuum tam acutum iudicium, an in hoc genere laudis Cicero omnibus antecellit? VILL. Nemo antecellere dubitat: qui ita creber eſt rerum frequentia ut uerbis non amplior ſit, quàm ſententiarum numero. MOR. Attamen Publium mimographum in hac laude omnibus præfert Seneca. VILL. Qui ipſe frigidis & triuialibus ſententijs immodicus eſt, ſententijs ambitioſe indulgentem laudat, ſed apud eloquentes & doctos fide autor nulla. Nec mediuſ fidius Philoſophiæ præcepta tradenti conuenit, tantum abeſt ut oratori, ſermo ſententijs perpetuis contextus. Orationẽ illuſtrare debent, non totam tegere & obducere ſẽtẽtię. MO. Agedum, Nónne res interdum

dum exigit breuitatem? VILL. Non incredibile. MOR. Huius exemplũ utrum rectius petes à Salluſtio Brutoúe, an à Cicerone? VILL. Bruti quid conſtat, quo illius uel breuitatem uel ubertatem cognoſcas? Salluſtius hiſtoriam ſcripſit, cui ut genus orationis fuſum atque tractum non omnino negatum ſit, propria tamen magis eſt breuitas, ne ad ordinem temporum, regionum deſcriptionem, conſiliorum, actorum, euentuum, rerum denique geſtarum narrationem, lectorem arrectum & animaduertentem potius, quàm orationis filum ſpectantem, nimia uerborum copia oneremus, & longa auidius perſequentis alacritatem retardemus. Extra hæc. Demendi maior eſt & promptior, quàm addendi facultas: quòd ſi ubertatem oderis, & ſermonis laſciuiam non ames, ex Ciceroniani eloquij luxurie, quæ magis arridebunt, carpito. MOR. In Demoſthene laudatur uis orationis, & neruoſum quiddam ac naturale, ab utro hoc rectius petemus? VILL. Sua cuiq; linguæ phraſis eſt, ſed omnium linguarum communis rhetorica: cuius partem ullam à Demoſthene aut ingenioſius, aut acutius laudabilius'ue, quàm à Cicerone tractatam, eruditi nullius teſtificatur neq; opinio, neque ſententia. MOR. Rurſum res interdum poſtulat ſeueritatem: huius exemplum rectius'ne petemus à Cicerone, an à Bruto & Pollione? VILL. Fac Bruti & Pollionis ſcripta ut extent, tum, an ab illis, an à Cicerone petenda ſit ſeueritas, diſpiciemus. Interea ita

Quare hiſtoriæ aptus ſit preſſius ſtilus & breuitas.

mihi persuasum arbitrare, nulla Brutum, aut Pollionem laude præstitisse, quæ in Cicerone maior nõ fuerit. MOR. Vbi negotium inuolutum, partitionibus explicandum est, utrum à Cicerone petemus, an ab Hortensio, aut si quis sit Hortensio similis? VILL. Illustres fuere & latè patentes Hortensij partitiones: Ciceronis non ita sese produnt aut exponunt, quanquam non minus explicatæ & faciles: nisi Ciceronẽ hoc minus elegãter usum partitionibus dicas, quòd, ut Hortensius, causam in partitiones distribuendo, digitis non micaret, quòd manum non efferret, & causæ capita, ungues singulatim premendo, non enumeraret. Illo tantum saltatriculæ & histrionis gestu, uel ratiocinatorum more, Ciceronem in partitionibus Hortensius superauit. Quid aliud, quo Ciceroni detrahas, in promptu habes? MOR. Nemo non fatetur fidem in oratore præcipuam esse. Eam conciliat probitatis & grauitatis opinio, eleuat artis aut intemperantiæ suspicio. Habeatur sanè uir bonus Cicero, quod uix illi Fabius, licet impendio fauens, audet tribuere: quod dissimulari non potest, artem magis ostentat, de se plura gloriosè commemorat, licentius in alios inuehitur, quàm Cato, Brutus, aut Cælius, cui sanctitatem tribuit Quintilianus. Harum itaque rerum exemplum nõ ne rectius petemus ab Aristide, Phocione, Catone, Bruto, quàm à Cicerone? VILL. Breui dicam quod sentio. Quanquam in oratore, sicuti in alijs, fidem omnium maximè laudo, &

uitæ

uitæ integritatem, cuius opinio beneuolentiam oratori conciliat, studiosissimè amplector, nihil tamen uitæ innocentiã, probitatemq; morum, aut ad artem dicendi, aut ad disciplinæ cuiusuis cognitionem adferre iudico: nec mihi placet ficta illa oratoris diffinitio, ut uir bonus sit, præscribens. Non fides eloquentem, non mores facundum, non uitæ integritas, disertum quenquam aut doctum efficit. Tribuit eloquentiæ facultatem & disciplinarum peritiam, tum ingenij felicitas, tum immensus labor, atq; uehemens exercitatio: qua si in arcem eloquentiæ inuadas, & compilatis rhetoricæ adytis, omnia tibi obuiam prodeãt, acute & cito reperies, distinctè & ordine dispones, grauiter & uenustè pronunciabis, firme & perpetuo memineris, ornatè & suauiter eloquêris: neque, si omni scelere scateas, & omnium teterrimus atque flagitiosissimus sis, ideo oratoris nomen tibi auferri possit. Oratorē uirum bonum antiqui eam ob rem diffiniere, ut ei autoritatem adderent, quòd conciliari animos dignitate hominis, rebus gestis, uitæ existimatione scirent, non quòd eloquentiam probitate, aut morum integritate uel iuuari, uel constare existimarent. Enituitne illa semper in Demosthene fides? eluxitne morum candor atque uitæ probitas? indignus igitur oratoris nomine, quòd anginam simulauit: dignior Phocion, quòd iustitia celebris, quòd probitate insignis fuit. Sed Phocionem cum Demosthene confer, eandem uterq; causam defensionemq;

Quare antiqui oratorem uirum bonum diffiniere.

rei alicuius suscipiat: uter fulmina in dicendo præstabit? uter ingeniosius sibi animos auditorum conciliabit? uter plenius docebit? uter acrius concitabit? uter acutius disputabit? uter uniuersos causæ susceptæ locos doctius facundiusq; persequetur? friget hîc tua probitatis prædicatio, friget fidei gloria: ualet uigétque, uel cum scelere & nequitia, eloquentiæ magnitudo atque facultas, quæ in quouis & perdito & flagitioso efflorescere potest, probitate neque comparatur, neque alitur, neque augescit. Ciceronem omnium nequissimum, omnium inconstantissimum facias: Catonem Brutum, aut Scipionem Nasicam omni probitatis, uirtutis, grauitatisq; laude cumules, bene moratos & uiros bonos, institutis & factis commendatissimos fingas: cui tamen primas in eloquentia tribues? quis famam oratoris celebrioris & laudatioris referet? Non hęc à me idcirco dicuntur, ut fidem, probitatemq; in oratore minimè esse debere suadeam, esse enim debet si quid aliud: sed ut illud potius ostendã, ultimam solere fieri in oratore, sicuti in conficiendis nuptijs, de moribus quæstionẽ. Spectatur in uirgine forma, de diuitijs inquiritur, omnia deniq; diligenter præter mores discutiũtur. Ita in oratore ingeniũ primum expetimus, tum mundã & splendidam uerborum copiam, rerum prudentiã & scientiam, exercitationẽ, laterum bonitatem & firmitudinẽ, uocis lenitatem, gestum moderatum, & decentem, uenustumq; corporis motũ inesse cupimus:

probit

probitatis ornamentum si ad has laudes accedat, maior certè est oratoris existimatio, si desit, nihilo quidem minor aut leuior uidebitur. Valeat multum ad uincendum, eorum probari mores qui causas agunt: concilientur quam maximè ad beneuolentiam, eorum animi, apud quos agitur, si oratorem iustum, integrum & religiosum putent: effingat mores oratoris oratio: an, nisi sit plane hebes, genus illud & uerborum, & sententiarum adhibere, an eam actionis lenitatem facilitatemq́ue, an eam uultus suauitatem assimulare, an eam pudoris significationem præbere nõ possit? qua probitatis, pietatis, grati animi, non appetentis, non auidi, non scelerati aut uitiosi, sibi existimationem colligat? qua mentes iudicum permoueat? ut accusatorem oderint, & reo faueant, ut delatoribus inuideant, ut reum saluum uelint, ut misereantur, ut se ad lenitatem dent, ut à seueritate refugiant? Ac me, ne diu quidem cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum opinionem ducit, quare ueteres probitatẽ cum eloquentia iunctam uoluisse arbitrer, ne scilicet eloquentia commodorum & incommodorum plena instructus orator, probitatem & iustitiam nisi sequeretur, odio, aut ultionis cupiditate, aut ambitione incensus in eam potius partem propendêret, qua Rei publicæ obesset, quam suam dicendi uim ad omnium utilitatem conferret. Qua in re si quis animo colligat, quantam operam Cicero dederit, ut Reipublicæ prodesset semper, obesset certè nunquam, an illum

Quare ueteres probitatẽ cum eloquentia iunctam uoluerint.

eloquentia armatum ad oppugnanda, non propugnanda patriæ commoda fuisse putabit? an in illo fidem, quam ab eo abfuisse narras, probitatemq; desiderabit? an in illo constantiam requiret? Qui si nefarios Catilinæ conatus repressit, si patriam à proditione, à cęde, ab incendio, à direptione, à uastitate seruauit, qui si enses & sicas, coniuratorumq; uim à ciuium suorum iugulo & capite repulit, qui si Rempublicam à perditis impulsam & corruentem sustentauit, si influentes in Rempublicam parricidas consilio & sapientia contriuit, compulit, domuit: si magnis populi Romani luctibus funeribusq; subuenit, si eidem omni semper prudentia, studio, diligentia, labore, uigilijs consuluit: si suas utilitates publicis commodis posthabuit: si Reipublicę causa, graues contentiones, simultates, odia, inimicitias, suscipere non dubitauit, si illius nomine nullum periculum aut uitæ discrimen reformidauit: cur illi tot laborum, tot sudorum, tot periculorum, hunc saltem fructum capere non liceat, ut de suis in Rempublicam studijs aliquando glorietur? ut, quæ pro Republica susceperit & egerit, frequentius commemoret? Illa non Ciceroni glorię accusationem factitant, sed à uiro Reipublicæ commodis dedito, in hoc toties prædicata suspicor, ut ad eadem capessenda iuuentutem excitaret, ut malè de Republica cogitantes frangeret, dum turpem & calamitosum exitum scelestorum audirent. Veruntamen, quando hoc te uelle uideo, uolo etiam Ciceronis in

Rempu

Rempublicam beneficia crebrius ab illo commemorata, in suspicionem animi gloriæ appetentis incidere: ideóne parum ornatè dixit? an idcirco minorem sui eloquij admirabilitatem apud æquales fecit? An quòd uita impudica & flagitiosa fuit Sallustius, an quòd ganearum lustris oblectaretur, an quòd nequam? infelicius ideo historiam scripsit? an quòd rerum nouarum, seditionum cupidi & insolētes Gracchi, ideo eloquentiæ laude caruere? Inconstans sit, leuis & duplex (ut à suis appellatur) Erasmus: aliud scribat, aliud sentiat: Christianæ simplicitatis studiosum se esse fingat, & Lutheri commentationibus teriora sceleratioraq́ue cogitet: de seruo arbitrio libros edat, & arbitrium in libertatem asserendum omnium maximè putet: Luthero publicè inclamet, & priuatim Luthero omnia assentiatur: conuitia amet, rixas, turbas, dissidia, altercationes gratas habeat: aduletur, parasitum agat, & Scurras sua dicacitate imitetur: assentationis uitio laboret, nummos à quouis impudenter emulgeat: episcopos epistola aliqua (id quod perpetuò facit) aut librorū suorum inscriptione, auro argentoq́ue emungat: Nihilominus, si qua eloquentiæ laude clarus sit, aut si qua doctrina disciplinaq́ue excellat, illius & eloquentiam, & doctrinam disciplinamq́ue laudabimus, atque eandem posteritas mirabitur, & prædicabit, non ignara laudem doctrinæ, & scientiæ præstantiam de moribus pendi minimè debere, usuq́ue fere uenire, ut in dissoluto & libe-

Erasmus publicè Luthero inclamat, priuatim oĩa Luthero assentitur.

—> Falsa

rius uiuenti acrius uiuaciusq; efflorescat ingenium, & disciplinæ extet altior cumulus, quàm in morosè religioseq; degente: qui uel literis tingi, uel diligentius expoliri, nefarium, ~~ut monachi,~~ putet, & à pietate religioneq; alienum sentiat. MOR. Non dubito, quin te damnaturi sint multi, qui doctrinam sine probitate & morum candore commendes. VILL. Nihil moror ridiculè religiosorum iudicium: ego literas non cultu probitatis quæri, nec probitatis studio quenquam impediri, quin literas discat, & in omni doctrinæ genere excellat, asserere non uerebor. Sed de his nimia. Tu, quod gestis facere Ciceronem insectari ne omitte. MOR. Tibi pareo, & ad institutum redeo meum. VILL. Bono animo es, & uires collige animose obtrectator. MOR. Quid nobis infelicius, aut magis ridiculum, si tot nostris laboribus, nihil aliud quàm inanem ac fallacem Ciceronis umbram assequi contingat? Quis unquam ueterum sic admiratus est Ciceronem, ut ab uno petenda putarit omnia dictionis ornamenta? Cui mortalium hactenus, sic indulsit natura, uel in una quapiam disciplina, ut unus in singulis eius partibus excelleret omnes, ut nō aliquid reliquerit in eo desiderandum, aut ita dederit, ut non ab alijs superaretur? quanto id incredibilius in dicendi facultate, quæ disciplinis propemodum omnibus constat, quæ tot alias res desiderat, quas nemo præceptis tradere possit? Fingamus hodie Ciceronem uiuere, & esse quendam Trachalo simillimum, utrum

malles

malles à Cicerone uocis moderationem petere, an à Trachalo? Opinor ab eo, qui hac parte præfertur omnibus. Pudoris ac modestiæ specimen utrum malles à Crasso, si uiueret, petere, quàm à Cicerone? Et ne de singulis commemorẽ, non'ne à singulis, in quo cæteris antestarent? Itaque mihi probatur Zeusidis exemplum, quod secutus etiam Quintilianus, imitatori præcipit, nec unum esse legendum, nec omnes, nec quoslibet, sed ex præcipuis deligendos aliquot eximios, inter quos Ciceroni primas tribuit, non solitudinem. Summum enim esse uult inter proceres, non solitarium, exclusis cæteris. VILL. Erasmum omnium sapientissimum prudentissimumq́ iudica, nisi hîc deliret & repuerascat. Naturam cuiquã mortalium sic indulsisse negat, ut in quapiam disciplina, unus singulis eius partibus omnes anteeat. Recordare, More, & Erasmo significa, naturã non magis uarietate oblectari, quàm uno aliquo perfecto & undique absoluto opere non nunquam superbire, suasq́ omnes simul interdum uires generoso conatu ostentare. Formas egregias, quas nonnullis elargita est, tecum primum reputa. An Narcissi, an Endimionis tibi non in mentem uenit, tanta formæ elegantia atq́ uenustate, ut Lunam amore solicitasse dictus sit? An Helenam, Ledam, & omnes Iouis pellices non in memoriam redigis? quas efflictim à Ioue adamatas, quid, rogo te, fingimus, nisi diuinam quandam formam, qua uel summũ deorum mouere possent, illis

Naturã non magis uarietate oblectari, quàm uno aliquo perfecto opere nõnunquã superbire.

à natura tributam significantes? Ad ueriora me reuoco, Apellem pingendi arte omnibus præstare uoluit. Phidiam tanta sculpendi peritia instruxit, ut nulli prorsus cederet. Poëticorum numinum turbã non recensebo, quibus ob hoc tantùm diuinitatem docta antiquitas tribuit, quòd unius alicuius artis disciplinæq; præstantia omnibus admirationem excitarent, & de cœlo in terram deducti, non in terra geniti uiderentur. Quid Homerum, Pindarum, Platonem, Aristotelem, Demosthenem tam feliciter natos, & tanta disciplinarum artiumq; omnium cognitione præstantes in aliud à natura editos putemus, nisi ut, quas communiter in cæteris ingenijs formandis uires suas quasi fastidiosè exercet, in his separatim animosius alacriusq; periclitaretur, totasq; studiose effunderet, uulgarium exemplorum tædio affecta, & rarorum aliquorum operum cõflandorum cupida? Eadem erga Latinos, qua in Græcos, beneuolentia, Ciceronem, Vergiliumq; Romæ nasci uoluit, omnibus numeris, quod ad ingenij uehementiam, & eximiam eloquentiæ laudem spectat, post hominum memoriã longè absolutissimos atq; prçstantissimos. Erras uero, si me ita insanire putas, ut Geometriam, Dialecticam, & reliquas artes, quarum partem oratoriæ facultati necessariam tradunt, à Cicerone aut petendam, aut peti posse dicam: quis enim hoc, nisi insanus dicat? Quicquid est in bene laudateq; dicendi arte positum, in Cicerone constare censeo: quæ

uiam

uiam ad dicendi facultatem & sternunt, & muniunt, ab aliis assumi exploratum est. Nam nec artifex, cui discipulus erudiendus cõmittitur, instrumenta, quibus ad artem opus est, sufficit, artem tantum explicat: ita oratori, quæ ex Geometria, Dialectica, & ex illo disciplinarum circulo accersenda sunt, ex geometris & dialecticis quærat. Romani eloquij facultatem, à Cicerone petat, eamq; aliarũ disciplinarum cognitione ex aliis scriptoribus illas præcipuè persequentibus comparata, si uidebitur, fulciat atque exaggeret. Quæ præceptis tradi non possunt, nobiscum innascuntur, & multa sensim exercitatione elucent, seseq; dicturo non quæsita offerunt: ut uocis moderatio & lenitas, gestus, uultus ad rem accommodatus: quæ licet arte non deprauentur, magis tamen naturæ indulgentia, & profuso fauore, iudicioq; nostro constant, quàm industria aut labore concilian tur. Quid à Trachalo potius, quàm à Cicerone, si uterq; uiueret, petendam uocis moderationem mones? Emittatur ab inferis huc uterque, & aliquis cum illis eandem orationem pronunciandam in senatu ha beat, an, quę in Cicerone corpore gracili uox gracilis commendabatur, eadem alij corpore robustiori conueniet? Qua corporis habitudine sis & proceritate, ad eam dirigenda est uox, sed semper pro re decorè flexa & immutata. Nunc ad Zeusidis exemplum: quod Quintilianus imitandũ proponit. Ille cum Helenæ pingere simulacrum uellet, muliebris formæ

pulchritudine excellens, ut non putauit, omnia, quæ quæreret ad uenuſtatem, uno in corpore ſe reperire poſſe, quare plures uirgines pulchritudine ſpectabili unum in locum conduxit, ut certius & elegantius lineas duceret: eo quidem modo, ſi elegãtem aliquam uelimus eloquentiæ ſpeciem effingere, non unum aliquem autorem nobis proponamus, cuius omnes partes, quocunq; ſint in genere, exprimendas nobis neceſſario arbitremur. Tuam ſententiam non antea ſequar, quàm hoc diſſolueris. Si poſt exactum illud, & ad tot elegãtes formas effictum Zeuſidis opus, aliud quiſquam muliebre ſimulacrum pingere uoluiſſet, an collectũ Zeuſidis iudicium ex tot uirginum pulchritudine, in lineis ducendis & imitandis ſequi tutò non potuiſſet? an de integro conducendæ fuiſſent formæ æque præſtanti uirgines? an non facile, qua quiduis parte in corpore muliebri pulchrum & uenuſtum ſit, in Zeuſidis exemplo non perſpexiſſet? an omnia diligenter à Zeuſide obſeruata & comprehenſa, non etiam obſeruaſſet? Ita in Cicerone, qui ex Græcis oratoribus quicquid ad ornate dicendum pertinet, ſedulò & accuratè collegit, an omnia artis oratoriæ lineamenta contemplari, obſeruare, notare, deligere, & quaſi manu tractare comprehendereq; difficile ſit, aut operoſum? Vilius eſt & abiectius Zeuſidis exemplum, qui unam tantum mulieris formam expreſsit. Amplior Cicero ad imitationem & copioſior, qui nullum dicendi genus, nullam cauſæ ſpeciem omiſit, qua

ſit,qua ingenioſè & penè diuinè non ſit uſus. Quam-
obrem non eum ſolum legendum,ſed ſolum in,dicen
do imitandum monebo, ſolum ad uim eloquentiæ
exprimendam,& pueris & natu grandioribus propo
nam,id modo meminerint,uarietati ſtudendum,ſicq;
tegendam & artis & uerborum imitationem, ut ne-
quaquam appareat, ſed nobis occulto uiam elegan-
ter ſcribendi, & ſapienter dicendi oſtendat. Nempe
non ferendus ſit Zeuſidis imitator, qui Pirrham pi-
cturus,eos in ſenilem uultum colores immittat, qui
ad iuuenilem Helenæ faciem ſint appoſiti,tantum ui-
deat,ne quid tortum,ne quid mancum, ne quid muti
lum efferat,ne quid à communi membrorum compo
ſitione & ordine diſcrepans,ne quid ridiculum faciat,
nec ſic Zeuſidem imitetur, ut in uitium imitatio dila-
batur,non imitantem iuuet. Linearum ductus in He-
lenæ ſimulachro ſic obſeruet, ut in Pirrha pingenda
non eos ſine mutatione referat, ſed ita ad rem ſuam
componat,ut nihil deforme ſit, & minus decens. Ci-
ceronem itidem qui ſequatur, diligenter caueat, ne,
quæ Cicero ſuo loco amplificat,prępoſterè extenuet,
aut preſsius explicet: quæ deprimit,ne attollat,& la-
tius in ſimilibus diuagetur, ac uim ſuæ eloquentiæ
fundat: denique id ſemel ſit monitus,ne quid ineptè,
ne quid inſulſè,ne quid abſurdè, aut ſcribat, aut di-
cat, omnia ſummo iudicio exequatur. MOR. In te
hoc recte iam poſsim torquere,frangas potius quàm
corrigas. Nulla te diſputatio immutabit, aut à ſen-

p 3 tentia

tentia deducet, in qua manere perpetuò decreuiſti. Interim tamen illud mecum cogites uelim, quanta pars Ciceronianorum uoluminum intercidit, & in his, diuinum illud opus de Republica, cuius fragmentum neſcio quo fato ſeruatum, nihil aliud, quàm deſiderio reliquorum uoluminum diſcrutiat animos noſtros, quæ cuiuſmodi fuerint, hinc licet æſtimare Leonem, ut aiunt, ex unguibus. Ne quid etiam commemorem de tot epiſtolarum libris, de tot orationibus iniuria temporum interceptis, de tribus uoluminibus, quibus Tiro libertus iocos & ſcitè dicta Ciceronis complexus eſſe legitur, deq; cæterorum huius uiri ſcriptorum naufragio. Quî poteſt igitur abſolutè eſſe Ciceronianus, qui tam multa illius non legerit? Præterea Cicero non tractauit omnes materias, de quibus ſi forte dicendum fuerit, unde tandem petemus orationis ſupellectilem? an proficiſcemur in campos elyſios ab ipſo percunctaturi, quibus uerbis ille talia fuerit dicturus? Quæſo illud bona fide mihi reſpondeas, totum Ciceronem exprimendum cenſes, an mutilum? Quod ſi totum quantus eſt, & ſolum: quî totum, qui ſe totum non expreſsit? Rurſus ea parte, qua ſe nobis conſpicuum fecit, mutilus eſt ac uix dimidiatus. Accedit, quod in his etiam ipſis quæ extant, aliquando ſibi ipſe nõ ſatisfecit. Siquidem de inuentione libros, ſubſtituto oratore, ueluti damnauit, & orationem pro Deiotaro munus leuidenſe uocat. Ad hæc in his quæ ſcripſit tantum non etiam re-

cogno

cognouit, ipse Cicero non est Ciceronianus, cuiusmodi sunt libri de legibus, præterea multa. Quî fiet igitur, ut totum, quantus est, æmulemur, quem & mutilum habemus, & truncum, & in nonnullis indolatum, ac sui dissimilem? Nisi forte probaturus es illũ, qui inchoatas Apellis tabulas, aut rudes Lysippi statuas imitans, speret se alterum Apellem aut Lysippum euasurum. Iam si quis sibi proponat insignem Lysippi statuam effingendam, cui rubigo uitiarit mẽtum & os, aut ei parti non imposuerit artifex summam manum, an grauetur eius partis exemplum ab alio quouis artifice sumere, ne recedat ab exemplo, cui se addixit? an potius habeat illud, ut est corruptum & imperfectum, æmulari, quàm ex alterius artificis signo, quod deest, supplere? VILL. Ista nos loquacitate non obtunderet Erasmus, neque garrulitatis causam aucuparetur, si cum doctis nosset, Ciceronis imitationem, ut ante diximus, non tam uerbis, constare, quàm artis expressione diffiniri, neque Ciceronianum uideri, qui anxiè magis uerba Ciceronis emendicet, quàm reliquas illius uirtutes in dicendo sequatur. Itaque si de ijs sit nobis forte dicendum aut scribendum, quæ Cicero ne cogitarit quidem, aut ad quæ Cicero dictionis supellectilem nõ suggerat, ideo non minus Ciceronem imitabimur, si bene Latinis uerbis ea efferamus, et usitatam Ciceronis elegãtiam, facilitatem, stili lenitatem, ordinem, acumen retineamus, dignitatemq́; eloquentiæ non deformemus, ad

cuius uim oſtendendam & explicandam ſatis multa Dei beneficio extant M. Tullij ſcripta. Etenim ita eloquentiæ ſtudioſis proſpexit & conſuluit ſumma illa Dei prouidentia, ut, in quibus neruos omnes intendiſſet, & ſuam omnem eloquentiam exhauſiſſet diuinus orator, ea modo habeant & legant. Plagam, ſcio, grauiſsimam accepit res literaria, interceptis de Republica, de gloria, de luctu minuendo, & multis epiſtolarum Ciceronis libris. Præſtantiora tamen & grauiora, quæ ille ſcripſerat ad nos peruenerunt, quibus ſi operam demus, quæ ſi diligenter imitemur, totum, ut nunc eſt, Ciceronem (quod fieri non poſſe putat Eraſmus, imitationem in uerbis tantùm conſtituens) præclare exprimemus: uerborum ſcilicet Latinorum puritatem non ab eo ſolum diſcemus, ſed eleganter omnia, ornate, ſplendidè, acutè, grauiter ſapienterq́ eloquemur. Senis uero tui ſententia, ne illa quidem, quæ pauca Ciceronis habemus, uel digna lectione, uel imitatione ſunt, impolita ea certe & indolata. De inuentione libros ſubſtituto, inquit, oratore damnauit: in ijs quæ ſcripſit tantùm, non etiam recognouit, ipſe Cicero Ciceronianus non eſt. Senem delirantem perfacile mehercule ferrem, riſuq́ libentius exciperem, quàm tam abſurdam ſententiam pluribus oppugnarem: at æqualibus meis conſulam, ne ridiculo iſto iudicio debilitati & fracti iuuenes alacritatem abijciant, qua ad Ciceronem imitandum contendunt, & quantulũ Ciceronis, dij immortales à barba-

rorum

rorum immanitate crudelitateq; ſeruarũt, ea ut malè culta impolitaq; faſtidiant, uel oſcitãter legãt. Quàm delirat & balbutit ſenex? Libros, inquit, de inuentione damnauit ſcripto poſtea oratore. Non ſic protinus opinantur eruditi, quibus perſuaſum eſt, quanquam libros de inuentione antea edidit, quàm oratorem ſcripſit, tamen eos ipſos oratori ſic accommodatos & neceſſarios, ut interpretationis loco haberi planè poſsint. In oratore dum L. Craſſus, Catulus, *Orator Ciceronis.* M. Antonius, Cæſar, Cottaq; colloquuntur, maiorem uim eloquentiæ promit, & illam propè forenſem dicendi grauitatem retinet, uiros grauiſsimos facundiſsimosq; grauiſsimè facundiſsimeq; diſputantes inducens: ac eorum perſonis dum decorum & proprium diſputationis genus tribuit, ſtili ubertati, & rerum ponderi indulſit, atque Ariſtotelem in ea re non imitari, ſed ſuperare conatus eſt. Libros autem *Quid in libris de* de inuentione ita ſcriptos uoluit, ut nihil prçter nuda *inuẽtione Cicero.* artis rhetoricæ præcepta, nihil præter orationis partium diffinitiones & explicationes haberent. Inuẽtio *Inuentio.* quid ſit, pluribus deſignant, & in ea cauſæ conſtitutionem ponunt: mox de cõſtitutione controuerſiam pendere declarant, eamq; multiplicem & uariam faciunt, ſiue facti, ſiue nominis, ſiue generis diſceptationem deſideres. Cauſarum ſimul exordia proponũt, *Cauſarũ exordia.* eorumq; uitia perſequuntur: uulgare, commune, commutabile, longum, ſeparatum, translatum fugiendum admonent; quando inſinuatione utendum

q   ſit, oſt

Narrationes. ſit, oſtendunt. Narrationes deinceps, & narratio-
num genera complectuntur, eas breues, apertas,
Partitio. probabiles præcipiunt. Tum partitioni breuitatem,
Confirmatio. abſolutionem, paucitatem præſcribunt. Confirma-
tionem argumentatione, ratiocinatione, inductione,
complexione, enumeratione, ſigno, exemplorum col
Concluſio. latione conſtare prędicant. Concluſioni enumeratio-
nem, indignationem, conqueſtionem aſsignant. Quę
omnia licet uenuſtius, ut omnia elegãtiſsimè, tangat
in oratore Cicero, necp quicquam, quod ad artem di
cendi aptum ſit, prætermittat, faciles tamen & uulga
tiores rhetoricæ pręceptiones non ita digerit, necp ita
ſingulatim, & quaſi orationis partes alias alijs nectẽ-
do, percurrit. Quid poſtea in oratore ſuo, quod in
alijs rhetoricæ libris pręcepiſſet, uelut imperitè & in-
doctè traditum, correxit? quid à ſe ſcriptum emenda
uit? quid immutauit? Tu'ne quòd pluribus locis ea-
dem ſæpe repetat, idcirco ante dicta negligi debere
ſuadeas? an quòd ille non diſsimilia in officiorum li-
bris, quàm quæ de finibus, ſcripſit, ideo libros de fini
bus, tanquã inutiles & ſuperuacaneos, dãnari uelis?
Tam ridiculum eſt, quod Eraſmi uerbis pronũciaſti:
Ciceronẽ in ijs, quę tantùm ſcripſit, nõ recognouit,
ſui eſſe diſsimilem, uixcp Ciceronianũ uideri, cuiuſ-
modi ſunt libri de legibus. Mirum: hominem ætate
exacta, longo rerum uſu, diu in literis uerſatum, tan-
ta ingenij celebritate & fama, omni ad extremum iu-
dicio carere, & mentis ſanitate eſſe nulla, Dialogos de
legibus

legibus humili & tenui ſtilo ſcripſerit Tullius: non uerbis & ſententijs, ut in cauſis intumeſcat: an ideo ſui diſsimilis? an non Ciceronianus Cicero? Ciceronianè dialogos ſcribit, quemadmodum cauſas dicit Ciceronianè, neq; ſui diſsimilis eſt, qui humilia humiliter & exiliter, elata & grauia elatè & grauiter tractat, eadem ſemper uerborum lenitate & puritate, uariato tantum pro rei uarietate ſtilo, & accommodato ad rem præſentem, quæcq; in manibus eſt, ſcribendi genere. Non me iniuria irrideas, More, ſi, qua quiſquam politiori grauioricq; oratione ad dicendum uti poſsit, hîc nos dum animi gratia colloquimur, & de re non grauiſsima diſputamus, eam ambitioſè affectem, & uerborum ſplendorem, longiores ſentẽtias, aut numeroſius cadentem orationem aucuper. Itidem riſus cauſam, & repræhenſionis argumentum præbuiſſet, nec Ciceronianus fuiſſet tum demum Cicero, ſi, qua iudices commouebat, &, in quam uolebat partem, rapiebat impellebatcq; audientem coronam, eandem eloquentiæ uehementiam in dialogis præſtitiſſet. Tum ineptè artem oſtentaſſet ſuam, cuius nimiam oſtentationem proximè illi obijciebas: tum illum Aſiaticum & redundantem iure obtrectatores appellaſſent, tum hebetẽ, & iudicij rationiſcq; expertem uocaſſent, qui, quod conabatur, non noſſet, nec rerum decorum calleret: tum non paruo noſtro commodo illum abijciendum negligẽdumcq; admonuiſſes, ſcriptorẽ communi ſenſu uacuum. Sed

tamen quid illius, inquit, omnia tantopere admiramur, qui sua interdum ut abiecta & ieiuna spernit? Orationem pro Deiotaro, munus leuidēse uocauit, igitur quicquā illi deesse senserat. Quid Erasmo fingi potest stultius? Quod Cicero præ alijs suis diuinis scriptis paruum fortasse duxit, nec uehementer laudauit, minus hoc absolutum Erasmus iudicat: hinc Ciceronis opera despicit, hinc ad imitationem non satis esse scribit: hinc, qui Ciceronem sequitur, cum eo confert, qui cùm insignē Lysippi statuā sibi effingendam proposuisset, cui rubigo uitiasset mentum & os, aut ei parti non imposuisset artifex summam manum, grauabatur eius partis exemplū ab alio quopiam artifice sumere. Hîc Erasmo lasciuè garrienti, ita quiuis respondeat. Scriptorum elegantiam nulla neque uetustate, neque annorum serie, ut signum rubigine, uitiari. Mansit eadem in Ciceronis scriptis usque à Cicerone uenustas, qua ab illo & composita, & relicta sunt, nec ulla illis labes macula'ue obrepsit: quæ qui sibi imitanda proponit, quid aliena mutuetur, cum his nulla parte conferenda? At suis Cicero summam manū non imposuit. Ita esse fac, si libet. An minus notam Ciceroni, quàm Erasmo linguam latinam dices? qui, cùm sua omnia pręcipitet, qui, cùm omnia proijciat, qui, cùm nihil elimet, quicquid tamen à se proficiscitur, sine ulla uel calumnia, uel repræhensionis metu exire non solum posse, sed laude efferri debere arbitratur. An sua Cicero uel

cogit

cogitatione tantùm informata, uel utcunque repo- sita, non tutius, non cum maiori laudis expectatione euulgare poterat? Eruditionis iudicijq́ plenior fuit illius negligentia, quàm omnis Erasmi, uel Erasmi similis blateronis diligentia: quanquam tam diligen tem & uigilantem non scriptorem solùm, sed consu- lem & patriæ defensorem quis negligentiæ accusare audeat? MOR. Omnia ut Ciceronem diuinè scri- psisse assentiar, illum tamen habemus nō modo trun cum ac lacerum, uerum etiam ita deprauatum, ut, si reuiuisceret, ipse, opinor, nec agnoscere sua scripta, nec restituere posset, quæ librariorum ac semidocto- rum audacia, incuria, inscitiaq́ corrupta sunt. Vt ne commemorem interim supposititia, falsoq́ titulo Ci- ceronem autorem mentientia. Quo de genere sunt li- bri rhetorici quatuor ad Herennium, hominis haud quaquam indocti. Sunt & inter orationes, quæ non à Cicerone scriptæ, sed ab alio quopiam erudito exer cendæ dictionis gratia confictæ uidentur. Adiecta est nuper oratio pro M. Valerio, quæ solœcismis sca- tet, tantum abest, ut Ciceroniana dici possit. Nec de- sunt, qui Portij Latronis declamationem in Catilinā, pro Ciceroniana legant oratione. Proinde si deuotis animis nos unius Ciceronis imitationi dediderimus, citra delectum expressuri, quicquid apud illum com pererimus, non'ne nosmet in summū coniecerimus di scrimen, ne cùm diu multumq́ nos ipsos torserimus, tandem Gotthicas uoces pro Ciceronianis flosculis

amplectamur æmulemurq́; VILL. Mancum Ciceronem paucis locis habemus, nec parua iſta locorum aliquot iactura impedit, quin nos ad dicendi facultatem ſatis & abundanter inſtruat. Deprauatum uero antea, & librariorum incuria inſcitiaq́; corruptum, ſic reſtituit uirorum doctiſsimorum tum Gallorum, tum Italorum diligentia, & aſsiduus in literis labor, ut omnia in illo niteſcant atque ſplendeant, ut in illo nihil iam offendi, nihil diſplicere, nihil animaduerti poſsit, aut, ut mendoſum, notari. Incubuit in eam curam ante omnes Gellius, quem ſequuti Valla, Politianus, & ex noſtratibus aliquot, Budæus, Longolius, eum ita expurgarunt, ut, ſi reuiuiſcat, illis gratiam relaturus ſit, nihil in ſuis ſcriptis mutaturus. Suppoſititia, & Ciceronem ementiētia, quis pro Germanis Ciceronis ſcriptis recipiat, qui illius lectione aures habeat paulum tritas? Quo de genere an ſint quatuor ad Herennium libri, non grammatici quidem, ſed inſigniter docti plurimi certāt, & adhuc ſub iudice lis eſt. Inclinat tamen in hanc ſententiam propè eloquentiū pars, ut ne diutius, tanquam ſpurij, illi à patris ſedibus amandentur, & inter Tullij lucubrationes numerētur. Adiectam nuper Ciceronianis orationē pro M. Valerio ſolœciſmis ſcatentem, inter Ciceronianas doctus nemo conſtituit, ſolœciſmis ſolis commonefactus, eam à Cicerone eſſe alienā. Portij etiam declamationem tametſi acutam & elegantem nemo pro Ciceroniana legit. Quamobrem non periculum

culum ſit, ne cum diu multumq; nos ipſos torſeri-
mus, tandem Gotthicas uoces pro Ciceronianis æmu-
lemur. Non tanta ſagacitate canes feram ſubodoran-
tur & excitatam perſequuntur: neque tanta naturæ
prudentia flores internoſcunt apes, & ſuauioribus
inſidunt, quanta peritia & ſolertia Ciceronianas uo-
ces à barbaris ſecernũt, qui Ciceronem uel ſemel lege
rint, & uerborum mundiciem ſuauitatemq; ſtudioſè
in eo animaduerterint. Ecquam putas Cæſari fuiſſe *Quæ Cæſari no-*
ſtili Ciceroniani notam, qui tanto iudicio, qui tam ſciẽ *ta in ſtilo Cicero-*
ter & peritè Ciceronis ſcripta dijudicabat, & ab alijs *nis cognoſcendo.*
ſecernebat? Nota ea erat perpetua, ut, quæ uerbis
mundis, puris, proprijs, ſignificantibus, ſplendidis,
ornatis, rotunda & æquabili ſtructura cõpoſita eſſet
oratio, eam Ciceronianam putaret, eam à Cicerone
profectã crederet: cuius iudicium ſi ſequamur, quis
nobis in Ciceronis ſcriptis aut uocibus cognoſcen-
dis imponet? an ſolœciſmos pro Ciceroniana ele-
gantia amplectemur? MOR. Aliud eſt, quod te for-
te magis commoueat. Quid quòd eruditi non ne-
gant in Ciceronis ſcriptis inueniri ſolœciſmos inex-
cuſabiles, quales & olim exciderunt, & excidunt ho-
die uiris multum doctis, dum in uarias res diſtracta
cogitatione, magis ſententiæ præcedentis memine-
rint, quàm uerborum, eoq; fit, ut periodi clauſula
prioribus non reſpondeat. Quod genus ſit. Diutius
commorans Athenis, quoniam uenti negabant ſol-
uendi facultatem, erat animus ad te ſcribere: initio

uersabatur in animo, uolebam, aut statueram, post magis arrisit, in animo erat: quæ uoces eundem efficiunt sensum, sed parum congruunt ijs, quæ præcesserant. Quin Aulus Gellius libro 6. cap. 15. profert locum ex secundo libro Ciceronis de gloria, in quo manifestò lapsus est, uersus aliquot Homericos ex Iliados. H. tribuens Aiaci, cùm ibi dicantur ab Hectore. VILL. Vulgare est, cuique esse linguæ multas loquendi formas, quæ duriores uideantur, & omnibus grammaticorum regulis normisq; solutæ, quas si legibus & præceptionibus astringas, linguæ illius dignitatem uioles, & uim libertati adferas. Eo loquendi genere si Romanè, ut Romani, usus est modicè Tullius, id'ne ut uitiosum animaduertendum duces? An multa Romanos domi inter loquendum usurpasse dubitas, quæ scriptis elata, posteri ab illa ætate remotiores, asperiora iudicarunt? quorum nulla constet ratio, sed in usu tantum & loquendi consuetudine fuere posita. Romanè itaq; scribens Tullius uerbum priori sententiæ non addidit: Erat animus ad te scribere dixit. Piaculum hoc putat [redacted] publicis supplicationibus expiandum. Aeque dirum ac tetrum facinus Cicero admittit, cùm uersus Homericos Hectori tributos, Aiaci asignat. Quis hæc a[redacted] sicco collecta iudicet? Ob hæc'ne Ciceronem abijciẽdum suadebit? ob hec'ne negligentius imitandum probabit? In ea, inquit, uitia necessario incurrendum est, si totum Ciceronem exprimamus. Exprimemus certè totum

totum,& his,si libet, abstinebimus, quandoquidem non raris istis loquendi modis,sed uerborum elegantia, & sententiarum grauitate referenda exponitur. MOR. Obseruatum tamen est, & memoriæ proditum, Ciceronem dixisse quædam,quæ nemo doctus putauit imitanda: ueluti cum ait, in potestatem esse, pro in potestate esse. Rursus in edicto M. Antonij M.Tullius ueluti Barbaram & Latinis inauditam uocem proscindit, pijssimus à pio, cum ea apud probatissimos linguæ Latinę scriptores reperiatur. Idem ut soloecon in eo reprehēdit, quòd scripsisset, facere contumeliam, quemadmodum Latinè dicimus, facere iniuriam,cùm apud Terentium optimum, ni fallor, elegātiæ Romanæ autorē ita loquatur Thais: Nam si ego digna hac contumelia sim maximè, at tu indignus, qui faceres tamen: opinor enim tacitè repeti contumeliam. Idem ab his uocibus nouissimè & nouissimus,ceu male Latinis abstinuit, cum eis non ueriti sint uti M.Cato,& Sallustius. Qua religione M. Tullium A. Gellius testatur usum,& in alijs multis dictionibus, quibus autores bene Latini, & ante illum, & post illum frequēter usi sunt. Fertur & geminum, ss, scripsisse, quoties antecedebat longa uocalis, ueluti in caussa, uisse, remissi, pro causa, uise, remisi. Num igitur totum Ciceronem imitantes abstinebimus ab his, quæ contra doctissimorum hominum sententiam uni Ciceroni non placuerunt? aut ea sequemur, quæ nulli docti uoluerunt imitari,

ac ne excusare potuerunt? VILL. Libenter, unde aliquis inuidię flatus ostenditur, uela dat Erasmus, classem in Ciceronem instruit, atq; idoneam nactus tempestatem, & prora & puppi totum se ad obtrectationem rapit, Tullij nauem, ueluti ad barbariei scopulum allisam, ridet, Dixit Cicero (inquit) multa, quæ nemo doctus putat imitanda, ueluti cum ait in potestatem esse. Tam uino madebant, More, qui potestatem pro potestate descripserunt, quàm ridiculus est Erasmus, qui hæc minutula consectatur, librariorum negligentia orta, non à Cicerone profecta. At in M. Antonij edicto, pijssimus à pio tanquam barbaram uocem non satis rectè notat, apud probatissimos linguæ Latinæ scriptores frequentem. Idem hunc loquendi modum improbe reprehendit, facere contumeliam: qua locutione uti non ueritus est Terentius: nouissimè quoq; & nouissimus nimium religiose fugit. Pijssimus, facere contumeliam, nouissimè, nouissimus, si ueluti partim barbara, partim ut noua & dura uitauit Cicero, non hoc certe temere. Neq; mehercule mihi persuasero, ut, quæ tolerabilia nouisset, ea in senatu coram linguæ Latinæ principibus, tanquã barbara & Latinis hominibus ignota reprehendisset. Quis Ciceronis ingenium usque adeo ignorarit, ut, quorum reprehensione, in reprehensionis periculum uenisset, ea illum reprehendere uoluisse arbitretur? Sequitur, ut quare à nouissimè & nouissimus abstinuerit, paucis ipse audias, & illum uerbo-

rum

rum delectu sapiẽter usum, non religione uitiose abusum cognoscas. In Italia, in Gallia, in Britannia, in Hispania, uel in quauis etiã urbe, peruagata multa uerba, multosq́ꝫ loquendi modos esse sæpe intelligas, quos elegantiæ cupidiores, aut ut duros & male proprios, aut ut recẽter natos, aut ut insulsos & uenustate carentes negligũt. Sic prorsus multas quondã Romæ percrebuisse uoces nõ ambigo, plebi & rudi multitudini gratas, oratoribus & exactiori auriũ iudicio uiris non continuò arridentes: quas, si Catonem obsoletæ dictionis peramantẽ, aut si Sallustium audacẽ uerborum architectũ opificemq́ꝫ imitemur, non reijciemus: si Tullium locutionis mundæ & puræ obseruantissimũ & undiq́ꝫ splendentem sequemur, ueluti fecẽ, aut ex lacuna aliqua erutas sordes respuemus. Cætera quę illi exprobras, ne nauci quidem facio. Feratur caussam, uisse, remissi, duplici, ss, uel septẽplice, scripsisse. Nihil hæc neq́ꝫ ad eloquentiæ facultatem, neq́ꝫ ad actionis lenitatem: nostram Ciceronis imitationem neglecta non minuent. MOR. Age, si totus erit exprimendus, an illius exemplo, Musis & Apolline nullo scribemus uersus? VILL. Orator fuit, nõ poëta Cicero, neq́ꝫ carmina reliquit, quæ imitari possis. MO. Næ tu bonam eruditionis partem Ciceroni adimis, artem poëticam cùm illi adimis. Cæterũ quid uetat, quominus utamur hac laudis diminutione, in his etiã uirtutibus, in quibus ab alijs superatur, quẽadmodũ in toto genere multis est inferior, ne dicam

r 2 omnib

omnibus? quàm multos uerſus admiſcet ſcriptis ſuis ex Homero, Sophocle, & Euripide parũ feliciter uerſos, præter Græcorum exemplum in iambicis eam uſurpans libertatem, quam ſibi Latini comœdiarum ſcriptores permiſerũt. Tu ſi quid ſimile uoles facere, num uereberis ea felicius, ſi poſsis, ac minore licentia uertere, ne ſis parum Ciceroni ſimilis? An non uitiat orationẽ ſolutam, qui uerſiculos, quos uertẽdo facit ſuos, parum reliquæ dictioni congruentes admiſcet? Tum quoniam identidem ille ſuis libris aſpergit uerſus Ennianos, Næuianos, Pacuuianos, & Lucillianos, horridam illam & inconditam antiquitatem reſipientes: tibi religio erit ſimiles, imò diſsimiles uerſus ex Vergilio, Horatio, Ouidio, Lucano, Perſio'ue proferre? quorũ lucubrationes, ut minus horroris, ita plus habent, tum elegantiæ tum eruditionis. An hîc metues uideri M. Tullio diſsimilis? VILL. Ciceronis laudi nihil magis detraho, eum cum poëtam nego, quàm Vergilij famã uiolo, illi cum aufero nomen oratoris. Sua uterq; laude floruit: alter in foro celebris, alter muſis recõditioribus clarus. Nec illud adhuc ſuæ potentiæ exemplũ natura edidit, ut unus utroq; munere æquabiliter excelleret, & ſumma artis oratoriæ facultate, & uerſus ſcribendi facilitate. Ciceronem artis poëticæ laude ſpolia, illum uerſu componendo omnibus inferiorem clama, facilè iſtam laudem concedit multis, ſed, quod eſt oratoris propriũ, aptè, diſtinctè, ornatè & copioſè dicere, quoniã in eo ſtudio

Ciceronis uerba hic de induſtria traducta.

ſtudio ætatem cõſumpſit, ſi illud ſibi aſſumit, uidetur id ſuo iure quodãmodo uẽdicare. Verſus autẽ, quos ſcriptis ſuis uel ex Homero, uel ex Sophocle, uel ex Euripide adſperſit, ſi parũ feliciter uertit, quid illum eam ob rem agitas? Id'ne Ciceroni fuiſſe negotij putas, ut ſtudium, laborem'ue ſuum in uerſibus poëtarum tam exacte uertendis poneret? Verſuum autoritate & ſententia utebatur, eos utcunque uertens, ſed aptè, & eleganter ad rem ſuam transferens. Stertenti quidem [redacted] hoc ipſum excidit, Ciceronis orationem, uerſiculis, quos admiſcet, parum reliquę dictioni congruentibus deformari. Effluxit ex eodem inſaniæ fonte maledictum, quo illum perſtringit, quòd Ennianos, Nęuianos, Pacuuianos, Lucillianosq́ uerſus, horridam illam & inconditam antiquitatem reſipientes libris ſuis identidem inſerat. Quos, quæſo, præter illos, citare ſua ætate poterat? An eos, quorum lucubrationes ut minus horroris, ita plus elegantiæ & eruditionis habere [redacted] prædicat? Suauitatis plus fortè habent, eruditione & doctrina antiquos non ſuperant. Ipſorum tamen & antiquorum poëtarum uerſus ſcriptis noſtris ſi à nobis aſpergentur, à Tulliano more non recedemus, & illum expreſsius imitabimur. MOR. At quid eſt neceſſe ſemper ac modis omnibus eſſe ſimilem, cũ ſæpe potius ſit eſſe parem, & interdum facilius ſuperare, quàm ęquare, hoc eſt meliora ſcribere quàm ſimilia? VILL. Tantam eſſe [redacted] inſolentiam facile profecto cre-

dam, ut Ciceronem à ſe ſuperari, aut antiquorum poetarum uerſibus elegantiora ſcribi poſſe, ſibi ipſe ſuadeat: ſed qui illorum elegantiam uenuſtatemq́ ab eo æquatam, non dicam ſuperatam, putet, niſi qui de mentis poteſtate exierit, non reperies. MOR. Ea eſt tamen multorum opinio, ſed illud ipſi pugnent, hoc de te modo quæro, ſi quis uſque adeo deditus ſit, & addictus Ciceroni, an non periculum ſit, ne cæcus amore, uel pro uirtutibus miretur uitia, uel ſciens ipſa quoque uitia effingat? VILL. Nulla ſunt in Cicerone uitia. MOR. Nulla; niſi forte ſolœciſmus uitium eſt apud alios, apud Ciceronem non eſt. At ſolœciſmos, ut diximus, eruditi commonſtrant in libris M. Tullij. Niſi labi memoria uitium non eſt, & hoc commonſtratum eſt à doctis. Si uitium non eſt immoderata mentione propriarum laudum etiam illum grauare, cui patrocinaris, quod in Milonis defenſione factum teſtatur Aſconius Pedianus, & uix uſquã non ſubmoleſtus eſt hoc affectu Cicero, non ſine cauſa, ut eleganter inquit Seneca, ſed ſine fine glorians. Et haud ſcio utra re ſit intemperantior, de ſe gloriando, an alios inſectando. quocunque colore defenderis hæc, illud inficiari non poteris, hac duntaxat in parte, rectius exemplum ab alijs peti poſſe. Ego uero lubens miſſum facerem ſermonem de moribus; niſi rhetores ipſi contenderẽt, bonum oratorem eſſe non poſſe, qui non ſit idem uir bonus. VILL. Solœciſmum nullum in Cicerone deprehendimus, omni uitio ea

tio ea parte caret. In poteſtatem eſſe, unde ſolœciſ-
mum notas, ſcriptum eſt ab indoctis aut dormitanti-
bus librarijs, non à Cicerone, elegantiæ ſtudioſiſſimo
dictum. Nec memoria lapſus eſt, cum ſuperiorem
periodum uerbo claudicare uoluit. Nuſquam ſe im-
moderatius aut magnificentius iactat. Res à ſe pro
Re publica geſtas non ſine argumento narrat: nuſ-
quam, niſi commodè atque pernecessariò, commemo
rat. Neutra re intemperans eſt, aut de ſe gloriando,
aut alios inſectando. Summa omnium uoluntate &
gratulatione, de fractis & repreſsis perditorum cona-
tibus, de extincto coniurationis Catilinæ incendio, de
ſeruata Republica & publicè & priuatim gloriatur.
Libentiſsimis omnibus Verrem, Clodium, Anto-
niumq; inſectatur: neminem probum offendit aut
lædit, bonos laudat, & dictis perhonorificis ornat.
Sed immoderatè glorietur, ſeſe intemperanter iactet,
omnium inſectator ſit acerrimus (à quibus uitijs lon-
giſsime abeſt) uir ſit minimè bonus, & omnium mor-
taliũ peſsimus, nequiſsimus, teterrimus: ea'ne, deum
immortalem, obſtabunt, ne à mortui elegantiſsimis
doctiſsimisq; ſcriptis, copiam, uenuſtatem, grauita-
temq; haurire abunde poſsimus? ea'ne gloriæ ſtudio
nos incendent? ea'ne iactitantiores nos efficient? ea'ne
uitio aliquo, aut flagitio nos imbuent? Mores ſibi
quiſque aut perditos, aut probos effingit, non ex ſcri-
ptorum lectione induit. Nil ſpirant, nil inſtillant Ci-
ceronis libri, quod aut nos nequitia tingat, atque inſi-

 ciat,

ciat, aut mentem animumq́ cuiuſquam à recto honeſtoq́ reuocet. MOR. Animoſum patronum, & ſuæ exiſtimationis defenſorem eximiè ad omnia infirmanda paratum habet Cicero. Verum age, num tibi uidetur eſſe uitioſa compoſitio, ſi dictio ſequens incipiat ab ijſdem ſyllabis, in quas deſijt præcedens, uelut echûs imaginem ludicram referens? Quod genus erit, ſi dicas, ne mihi dona donata, ne uoces referas feras, ne per imperitos ſcribas baſſo. Ineptam & abſurdam compoſitionem non negabis. Atqui talem proferunt ex amaſio tuo Cicerone. O' fortunatam natam me conſule Romam. VILL. Nullo maiore conatu elabar, ſi culpam in librarios conijciam, & uerſum iſtum ita à Cicerone relictum dicam. O' fortunatam Romam me conſule natam. Sed id à me dictum nolim, hoc uelim potius confirmatũ, iſtum aut ſimilem ſyllabarum concurſum uitio, non uenuſtate carere: ut illud aliud, Africa terribili tremit horrida terra tumultu. Quod Vergilius in hoc hemiſtichio non uitauit, Caſus Caſſandra canebat. Occurrunt hæc ſcribentibus, naturæ felicitate, uel à nobis prudenter quæruntur, ut rem cum emphaſi exprimamus, & ſubijciamus oculis. Scilicet tanto erat Cicero ſtupore, tanta ingenij ruſticitate, tam agreſti iudicio, ut non citius, quàm nos, uerſus aſperitatem ſenſiſſet: tanta erat ille uerborum inopia & paupertate, ut elegantiorem & ſuauiorem uerſum uel ſaltãdo fundere non potuiſſet: tam diſſoluto erat ille & exiſtimatio-

nis

Dorica castra;

nis negligenti animo,ut,quem nouiſſet ridiculum,& indignum ſua muſa uiſum iri, incudi reddere nõ maluiſſet, quàm impolitum exire. MOR. Non repugno. Sed nondum elapſus es. En tibi nihilo meliorẽ compoſitionem ex oratione ſoluta refert Quintilianus : Res mihi inuiſæ uiſæ ſunt Brute. Ne quid calumnier interim de duobus moloſsis in clauſula. Quid hîc memorem de uocalium crebra colliſione, quę reddit hiulcam & inamœnam orationem? an nõ hoc quoq; notatũ eſt à doctis in Cicerone? VILL. Huius etiam præpoſteri uerborum ordinis culpam in Librarios confero, ſicq; Ciceronem ſcripſiſſe credo: Inuiſæ mihi res uiſæ ſunt Brute. Ita nec compoſitionis lenitatem deſyderabis, nec duos in clauſula moloſſos calumniabere. Numerorum tamen rationem ubiq; conſtare non neceſſe eſt, modò numeroſè cadat periodus. De uocaliũ colliſione Ciceronẽ ita in Oratore ſcribentem audi. Habet (inquit) ille tanquã hiatus concurſu uocalium, molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam, hominis de re magis, quàm de uerbis laborãtis. Si quando igitur Tullius uocalium concurſu & hiatu non uaſtius reſidere, ſed paulum ſubſidere uideatur, aut infra, quàm ſolet, diductus ſit, facit hoc conſultò, non uitio aliquo, aut orationis eleganter ſtruendæ ignoratione. Cum cæteris illius laudibus hanc eſſe uel maximam declarabant, qui cum eo cauſarum capita partiti, perorationem ſemper illi relinquebãt, in qua leniſsimo uer- Cicero.

s borum

borum fluxu, & quadrata orationis structura ad commouendos & concitandos affectus peropus est. MOR. Neglexit, inquis, consultò uocalium collisionem Tullius, non anxiè uitauit interdum orationis hiatum: nihil reclamo, modò fateamur quiddam esse apud alios, quod apud Ciceronem nõ sit, & sit apud alios melius. Deinde ex te quæro, ecquem nouisti scriptorem tam uigilãtem, tamq; felicem, ut non alicubi dormitarit? Vtrum igitur putes esse cõsultius, imitari dormitãtem Tullium, an uigilantem Sallustium, aut Brutum, aut Cæsarem? An non sic Homerum imitatus est Vergilius, ut multa correxerit, non pauca reliquerit? non'ne sic Hesiodum, ut nusquã non uicerit? Non'ne sic Horatius est Lyricos Græcos æmulatus, ut ex unoquoq; decerpẽs quod esset bellissimum, omnes post se reliquerit? An non sic imitatus est Lucilium, ut quędam in illo sciens prætermiserit, ab alijs sumpturus, quod imitatiõe dignius esset? Quid alios commemorem? Num ipse M. Tullius tam admirabilem eloquentiam ex uno quopiam contraxit? an potius excussis Græcorum pariter ac Latinorũ philosophis, historicis, rhetoribus, comicis, tragicis, lyricis: demum ex omni scriptorũ omnium genere suam illã diuinam phrasim collegit, contexuit, absoluit? Si modis omnibus libet imitari Ciceronẽ, & hoc illius exẽplum imitemur. VILL. Quò mirandum est magis, quoq; rarius accidere scimus, tam uigilãtem esse scriptorem quenquã, ut nunq̃ dormitet, eo admirationẽ

nostram

nostram plus plusq; auget incredibilis Ciceronis uirtus, qui nusquã non uigil est, nusquam non in uerbis expergefactus, diligens, nusquã non in sententijs lynceus, acer, acutus, nusquã non ad omnia summo conatu perficienda, & eximio ornatu excolenda promptus atq; excitatus, neq; est, quare illum dormitasse calumnieris, & uigilantẽ Sallustium, aut Brutum, aut Cęsarem imitari malis. Cæsarem dormitantẽ non deprehẽdes. Sallustium pro uerbis peregrinis & extraneis in urbem Romanã asciscendis laborantem forte reperies, cuius inanem circa hæc laborem & anxiã sollicitudinẽ aspernamur, reliqua eius ornamenta non reijcimus. Cæsarem undiq; candidum & nitidum amplexamur. Ciceronem omnibus longè splendidiorẽ illustriorẽq; sequimur atq; imitamur à Vergilij more & exẽplo non dissidentes, qui ex Homero, quibus se iuuari posse nouerat, in rem suã tectè occultoq; cõuertebat: quę sibi nulli essent usui, relinquebat, multa immutabat & uariabat. Hesiodum Homero inferiorem sic sequebatur, ut sequẽdi satietate aliquãdo defatigatus, longius excurreret atq; anteiret. Id quod si in Cicerone efficiemus, quis celeritatẽ nostram, quis strenuitatem non commẽdet? quis conatus nostros, quis uirium magnitudinẽ non admiretur? quis ingenij alacritatem non probet? Horatium prætera non fugiemus, ex unoquoq; Lyrico poëta decerpentem, quod est bellissimum. Sic Tullius admirabilẽ suam eloquentiam non ex uno quopiam contraxit, sed ex

Philoſophis,Hiſtoricis,Rhetoribus,Comicis,Tragicis collegit. Nihil tamen minus,quàm Philoſophos, Hiſtoricos,Comicos,Tragicos, dicẽdo imitatur: nõ omneis,quod præcipit Eraſmus,ſequitur,nõ omneis æque exprimit:ſuo utitur, non alieno loquẽdi genere. Omneis diligenter legerat, Demoſthenem præcipue rebus omnibus refert. Omneis etiam ut euoluamus & legamus,monent oratorum præcepta,ſed ut unum imitemur,iubent,cui hęreamus toti,cuius imagine & ſimilitudine inſignes ab eloquentibus dignoſcamur & colamur. MOR. Quid? an nõ hoc potius docuit ipſe Cicero, caput eſſe artis, artem diſsimulare? Friget enim & fide caret,ac uelut inſidioſa timetur oratio,quę ſignificationẽ artis dedit. Quis enim ab eo non metuat, qui fucum & uim parat animis noſtris? Itaque ſi feliciter Ciceronem imitari uolumus, diſsimulanda imprimis eſt ipſa Ciceronis imitatio. Atqui nuſquam diſcedit ab illius lineamentis, qui uerba, qui figuras, numeros, ex illo concinnat, quædam imitans etiam non imitanda: ueluti quidam Platonis diſcipuli, adductis humeris præceptorem referebant: Ariſtotelis auditores ſubbalbum quiddam in loquendo, quod in eo fuiſſe legitur, reddebant: & quoniam manifeſtò præ ſe fert imitandi ſtudium imitator, cui uidebitur ex animo loqui, aut quid denique laudis aſſequetur? Nimirum id quod aſſequuntur ij, qui ſcribunt centones. Delectant fortaſsis, ſed paulisper, ſed otioſos ſolum: cæterum

nec

nec docent, nec mouent, nec persuadent. VILL. Vt egregiè stultus est Erasmus, aut eximius calumniator. Eandem esse debere scribit diligentiam & cautionem artis dissimulandæ in oratione, & imitationis tegendæ, cum aliquem æmulamur. Artis caput est in causis, artem ipsam dissimulare, ne insidias sibi strui existiment iudices, si ullam artis significationem præbeamus. Imitationis summa laus est & commendatio, tanquam penicillo exprimere, cuius imitatione oblecteris. Ac si hinc laudari cupimus, quòd Ciceronem imitemur, quis nos laude optata illustret, nisi illum à nobis referri & exprimi perspiciat? quis te Apuleio minus quàm Ciceroni, aut alij probato scriptori deditum iudicarit, nisi Ciceroni, quàm Apuleio similior uidearis? At qui Ciceroni uacant, nihil laudis assequuntur, centones tantum scribunt, delectant otiosos duntaxat, cæterum nec docent, nec mouent, nec suadent. Indignor, More, quam prius ridebam, Erasmi importunitatē. Quem uult, plus puer aut infans senex, nobis ad imitandū proponi? cui uult nos studere? an nullus præcipuè sequēdus? an per omnes generatim uolitandum & uagandum? Quis hoc tam pernitiosum consilium, nisi insipiens dabit? quis, nisi demens, exequetur? quis, nisi plane hebes, alij quàm Ciceroni hæreat? quis alium, quàm Ciceronem imitetur? ornamentis omnibus longè latéq; splendentem, quibus alij uix interluceant, qui tanta nos eloquentia breui ditat, & cumulat? MOR. Rectè loque-

ris,ſi facundiam oſtentationi paramus, non uſui. Ve rùm plurimum intereſt inter hiſtrionem & oratorem. Illi delectaſſe ſatis eſt,hic etiam prodeſſe ſtudet,ſi modò uir bonus eſt: quod ſi non eſt, nec oratoris nomē tueri poterit. Iam demonſtrauimus,opinor, in Cicerone quædam eſſe uitanda, quædam in eo deſiderari,quædam ſic adeſſe, ut in his,ab alijs hac parte felicioribus ſuperetur. ſed donemus nullum eſſe uirtutum aut ornamentorum genus, in quo non ſit cæteris uel par,uel ſuperior: certe in alijs, alia magis eminent, ob raritatem, quæ in M. Tullio ornamentorum denſitate uelut obſcurantur: perinde quaſi ſi certas ſtellas notare uelis,facilius id non facies,ſi rarè luceant,quàm ſi tota cœli pars pariter inſignibus obſita ſit, Itidem ſi ueſtem conſpicias totam gemmis obtectam,minus te capient ſingulæ. VILL. Balbutit, ut antea Eraſmus, nugatorijs oblectatur, & ſuam garriendi cupiditatem nullo loco continet.Recte,inquit, in Ciceronis imitatione ponitur à nobis opera, ſi facundiam oſtentationi paramus,non uſui. Huc ſubinde reuoluitur,his nos uocibus enecat. Ergo quæ ex Cicerone eloquentia diſcitur, oſtentationi paratur: quæ ex reliquis ſcriptoribus colligitur, ad utilitatem quæritur. Non nos oratores efficit Ciceronis imitatio,hiſtriones ut uideamur,facit. Ciceroniana facundia ornati,oblectare poſſumus, nihil cuiquam proſumus. Vbi illa, Eraſme, eloquentia? à quo diſcitur? à quo comparatur? qua oratoris nomē aſſequimur,

hiſtrio

histrionis famam fugimus? qua prodesse possumus, non solum oblectamus? tam fructuosæ eloquentiæ fontes digito ostende. Magno mortales beneficio tibi deuincies, magnis nos meritis tibi astringes atque obligabis: quam uoles mercedem, pro hoc officio deposce, offeretur, proponetur, dabitur. Senem si pretio inuitemus, medius ex hypocausto fortasse existet, & pudoris immemor, his nos uocibus, unde illam eloquentiam hauriamus, admonebit. Mea in Catonem scholia perlegite, mea in Laurentium Vallam epitomata perdiscite, meam de puero Iesu concionem expendite, Querimoniam pacis, quam ætate florens, & in medio studiorum meorum, cursu, conscripsi, examinate atque ponderate. Vobis illa, illa diuina scripta, uobis illa, non frigida Ciceronis opera, eloquentię facultatem suggerent, qua oratorum famam, non histrionum nomen consequamini, qua omnibus sitis utiles. Quid aliud ista adhortatione suaderet, quàm suo dialogo nobis suadere nititur? nempe ut Ciceronem abijciamus, & suas nugas sequamur? Demonstrat, ut opinatur, in Cicerone quædam esse uitanda, quædam in eo desiderari, quædam sic adesse, ut in his, ab alijs hac parte felicioribus superetur. Quid demonstrat calumniator? in potestatem esse, pro in potestate esse; periodum uerbo claudicantem. Versum asperiorem. Minutulis his maculis, & librariorum incuria aspersis deformatus Cicero, ne lectione quidem nostra dignus est, imitatione prorsus indi-

Risu plena in Erasmum.

gnus. Exactum hoc istud est Erasmi iudicium, hæc ea est Erasmi de Cicerone sententia, hoc ipsum est Erasmi de Ciceronis imitatione consilium. Quousque senem in hunc modum & garrientem & delirantem sustinebimus? Quousque istam de eloquentiæ principe ita conuitiosè iudicandi audaciam probabimus? Quousque nobis imperabimus? quin suum quisque stomachum in eum erumpat, quin suos quisque aculeos excutiat? quin eũ stilo cõfodiat? Hoc mihi ignosces, More, grauius si commouear, aut ardentius quicquam loquar. Bilem mihi concitat, non intemperantia, aut ingenij leuitas, sed insolẽtiæ Erasmi magnitudo, qui tanta impudẽtia & insania Ciceronẽ uexat, qui illius existimationẽ tãto furore atterit. Sed hoc facundiores ulciscantur: ego obtrectatoris maledicta persequor. Donat (perinde quasi id obscurũ sit, aut dubium cuiquam) nullum esse uirtutum aut ornamentorum genus, in quo non sit cæteris uel par, uel superior Cicero: certè in alijs alia magis eminent ob raritatem, quę in illo, densitate ornamẽtorum obscurantur. Ornamentorum omnium densitas est in Tullio, at ita aptè & uariè disposita, ut aliud alij lumen sit, & ad splendorem adiumentum, non sibi proxima obscuret. Tum in tanta uelut smaragdorum densitate, cùm nullus sit uilis aut abiectus, an non maioris felicitatis est, & minoris prẹterea negotij, quoquo te uertas, quicquid libet, pulchrum & splendidum capere atque auferre posse, quàm in alio scriptore istiusmodi ornamen

ornamentorum inope, die toto exerceri, & uix unum tandem aliquem ſmaragdum colligere? Aliud ita calumniatur obtrectator. Si certas ſtellas notare uelis, facilius id facies, ſi rarę luceãt, quàm ſi tota cœli pars pariter inſignibus obſita ſit. Non ſtellarum raritas facit, ut quas uelis, facilius notare poſsis, nec earundem frequentia ingens'ue numerus impedit, quin aliam ab alia facile diſtinguas, ſi qua cœli parte, aut ad primam uigiliam, aut ad conticinium & noctem intempeſtam, aut ad matutinũ crepuſculum ſtellæ uoluantur, teneas, aut ſi qua hora uel oriantur, uel præcipitent, intelligas. Iouem, Saturnum, Martem, Venerem, uel undiq; cœlo ardenti & micanti notes, ſi Iouis ſedem, uel Saturni, Martis, Veneriſq; locum animo bene dimenſum habeas. Itidem in tanto ornamentorum omnium ſplẽdore, quibus fulget Cicero, facile tropum à tropo ſecernas, ſi ſchematum locos ſedeſq; noueris. Non nos ille ſimilium ſatietate defatigat, ſed diuerſorum uarietate recreat: ingenerat maiorem inſpiciendi cupiditatem, fitq;, ut quemadmodum uiſco obliti ſi in plumis uolutentur, toti plumis cooperti exurgant, ſic nobis in Ciceronianorum ornamentorum copia cumuloq; uolutatis, ornamenta ipſa uelut inuiſcata hæreant, totiq; ornamentis colluceamus. Rogo te, More, ueritatem nimia altercatione ne amittamus. Eximiam orationum aut epiſtolarum formam ſi quis noſſe uel aſſequi deſideret, ad quem ſe ille, niſi ad Ciceronem, conferet? quem, niſi Cicero-

t nem,

nem,legat? quem,nisi Ciceronē,imitetur? An, quod quæret,uel Varro,uel Sallustius, uel Cæsar, uel Titus Liuius, uel Cornelius Tacitus, uel Plinius, uel Vegetius,uel Vitruuius,uel Columella, uel Quintilianus sufficiet? An hi orationes reliquere,in quibus artis dicendi lumina conspicias? an epistolas scripsere, in quibus tantam stili felicitatem, facilitatem, puritatem,iucunditatemque,quanta in Cicerone est, elucere uideas? MOR. Sit ita, & colluceant ornamentis toti,qui in Ciceronis lectione uolutātur. Feremus'ne tamen perpetuam uocis contentionem? feremus iocorum intemperantiā? feremus indecoram parumque uirilem in initio dicendi trepidationem? Feremus mentum læua demulceri? & si qua sunt alia, in quibus M. Tullius uel sibi, uel alijs displicuit? Feremus quidem forte, modò, qui Ciceronis uitia expriment, simul illa exprimant, quibus ista uel texit, uel pensauit. VILL. Non necesse est, qui Ciceronem totum exprimere laborat, Ciceronis ut uitia exprimat. Nec ea uitia in Cicerone fuerunt, quæ uitia interpretaris. Decuit Ciceronem uocis contentio: Decuit in initio dicendi, trepidatio. Decuit mentum læua mulcere: quæ in Cicerone nemo ante Erasmum,ut uitiosa notauit. Indicat uocis contentio, eodem oratorem studio affectum,quo iudices inflammare contendit: argumento est oratorem non absque animi motu loqui. Aperit trepidatio mentis simplicitatem,& beneuolentiam oratori conciliat, eosque pudoris opinione nobis

adiung

adiungit, quos abalienare solet, audaciæ animiq́ ef-frenati significatio. Ciceroni pulchrum fuit, mentum læua mulcere, ut suum cuiq́ decorum gestum de-centemq́ natura tribuit. Hæc tamen exprimere non conabimur, & Ciceronem totum uel exprimemus, uel æquabimus. Aequari enim quin poſsit, uel quin iam æquatus à multis esset, non dubito, si remansis-set antiqua illa eloquentiæ propagatio, causarum in senatu dicendarum consuetudo atque facultas. Si no stro hoc tempore, natis tot præclaris & felicibus, nul-laq́ re antiquorum ætati cedentibus ingenijs, ea esset ad eloquentię studium inuitatio, quæ apud antiquos fuit: si ij essent propositi & decreti eloquentiæ hono-res, quibus olim & Athenis & Romæ floruit. Exerci-tatione crescunt, & adolescunt omnia, qua si in altio-rem gradum extulit eloquentiam Tullius, an illam iam labantem & inclinantem aut sustentare, aut al-tius extollere nequeamus? Sed quò hac ætate progrediatur quis eloquentiæ studio incendatur? quis se eloquentiæ dedat? Quam non risui solum haberi uideas, sed quam tibi fraudi sæpe esse, qua inuidiam tibi & uitæ periculum creari sentias. Qua instructos, non laudibus, ut antiqui efferunt, non obseruant, non suspiciunt, non admirantur, aut diuites, aut nobiles, aut sacerdotijs distenti quidam uentres, popinionesq́ nati gulæ atque abdomini. Qua ornatos uulgus conuitioso, ut arbitratur, no-mine grammaticos appellat, & cocis agasonibusq́

In mores & tem pora nostra.

uiliores atque abiectiores ducit. Quæ per deum immortalem in tanta contemptione efflorefcant ſtudia? quæ artes certatim colantur? quæ ingeniorum inuitatio? ut antiquos & imitari, & æquare adnitantur? quis tandem honos aut quæ merces propoſita, cuius expectatione, ſi quando labore frangamur, ad priorem alacritatem redeamus? Non nunc magis eſt, quàm quondam, effœta natura, nec minus acutis & planè diuinis ingenijs ferendis potens. Sed qui naſcuntur, mente & ingenio felices, alij ſpe honorum excluſi ſtudia negligunt, alij contemptu retardati, in quo literas, & eloquentiam paſsim eſſe uident, literas eloquentiamq; auerſantur: alij periculo territi, quod eloquentiæ & literarum humaniorum nomine conflatur, à literis, ut à ueneno abſtinent, nec rem inuidia ſcatentem, & periculis redundantem ſequuntur. Quibus tamen ipſa uirtus merces eſt, quiq; ſuſpicioſa iſta & turbulenta tempora non diuturna fore norunt, tranquillioraq;, & literarum ſtudijs æquiora atq; amiciora appropinquare coniectura augurantur, literas cupidius amplexantur, & conatibus non diffidunt, ſpeq; ſunt optima, omnes antiquorum uirtutes & exprimi, & æquari poſſe: Itaque quod liberius & longius à propoſita diſputatione digrediēs, intermiſi, hoc conſtanter pugno, paulo ſupra noſtram ætatem fuiſſe, qui omnia Ciceronis lineamenta, quoad res ſuſcepta & argumentum permiſit, eleganter expreſsit, & æquauit, neque multos noſtra

Non magis effœta eſt modo natura, quàm quondā fuit in ferēdis ingenijs.

Suſpicioſa & turbulēta noſtra tempora.

ſtra ætate deeſſe, qui, niſi ingenij felicitate abutantur, & operam ſtudiumq́ ſuum in uoluptatibus, & rebus uirtuti aduerſis collocent, Ciceronem propius imitaturi, & non infeliciter expreſſuri uel æquaturi ſint. MOR. Sed ò Muſæ, quantulam Ciceronis portionem nobis referunt iſti Ciceronis ſimij, qui uoculis, formulis, tropis, & clauſulis aliquot, hinc atque hinc corrogatis ſummam modò cutem, uel bracteam potius Ciceronis nobis exhibent. Sic olim Atticum dicendi genus quidam æmulabãtur, cum interim eſſent aridi, ieiuni, frigidiq́, ſemper, ut ait ille, manum intra pallium habentes, nec ſubtilitatem, nec ſanitatem, nec gratiam Atticorum ulla ex parte poſſent aſſequi. Optimo iure Quintilianus irridet quoſdã, qui ſe germanos Ciceronis imitatores haberi uolebãt, quòd aliquoties his uocibus abſoluerent clauſulã, eſſe uideatur, quòd ea ſemel atque iterum Ciceroni forſitan excidit: ſi periodum longiore ambitu circunduxiſſent, quòd in initijs præſertim nonnunquam fecit ille. Nec hodie parum multi ſunt iſtorũ ſimiles, qui ſeſe ualde mirantur, & alteros, ut aiunt, Cicerones eſſe credunt, ſi prima uox orationis ſit, quãquam, aut, etſi, aut animaduerti, aut, cum, aut, ſi, quòd officiorũ libros ſic ordiatur M. Tullius: Quanquam te M. Fili, periodum uix nono uerſu abſolues. Et pro lege Manilia: Quãquam mihi ſemper. Laudatiſsimam illam pro Milone orationem ſic auſpicatus eſt: Et ſi uereor iudices. Rurſum Philippicarum duodecimam: Etſi minime

decere uidetur. Itē pro C. Rabirio: Et ſi Quirites. Et in epiſtolis aliquod ſimile eſt initiū. Et haud ſcio, an iſti libros ad Herennium ob id tribuant Ciceroni, quòd ab etſi capiant exordium: Porrò de finibus bonorum librum quintum ſic incipit: Cùm audiſſem Antiochum Brute. Tuſculanas quæſtiones ſic auſpicatur: Cùm defenſionum laboribus. Et eiuſdem operis librum quartum: Cùm multis in locis noſtrorum hominum ingenia. Pro L. Flacco: Cùm in maximis periculis. Item pro domo ſua ad pontifices, Cùm multa diuinitus. Iterum pro Plantio: Cum propter egregiam. Ad hæc librum de natura deorum primum: Cùm multę res in philoſophia. Et Scipionis ſomniū: Cùm multæ res in Africa. Pro Rabirio dicens, ſic orditur: Animaduerti iudices. Rurſus ad Brutum de paradoxis Stoicorum: Animaduerti Brute. Pro L. Cornelio Balbo ſic orditur: Si autoritas patronorum. Pro P. Seſtio: Si quis antea iudices. Pro Cecinna: Si quantum in agro. Pro Archia poëta: Si quid eſt in me ingenij. In Vatinium teſtem: Si tua tantummodo Vatini. Ad equites iturus in exilium: Si quando inimicorum. Ad ſenatum poſt reditum: Si Patres Cōſcripti, pro ueſtris. Pro M. Cælio: Si quis iudices. De prouincijs conſularibus: Si quis ueſtrum P. C. Quid autem magis ridiculū, ac Ciceroni diſsimilius eſſe poſſit, quàm nihil habere Ciceronis præter tales uoculas in orationis exordio? de quibus ſi quis percōtetur Ciceronem quur ab ijs uocibus ſit orſus, reſpondebit,

opinor

opinor, quod in insulis fortunatis Luciano respondit Homerus, roganti, cur primam Iliadis dictionem uoluit esse μῆνιν, nam hæc quæstio multis seculis torserat grammaticos, illud, inquit, tum forte uenit in mentem. Consimilis impudentiæ sunt, qui sibi plusquam Ciceroniani uidentur, quòd aliquoties insulciant etiã atque etiam, pro uehemẽter, & maiorem in modum, pro ualde, identidem, pro subinde, cum & tum, quoties inæqualis momenti sunt, quæ connectimus: cum & tum, quoties æqualis: tuorum in me meritorum. Quid quæris, pro in summa, aut breuiter. Non solum peto, uerumetiam oro contendoq́ꝫ. Antehac dilexisse tantum, nunc etiam amare mihi uideor. Valetudinẽ tuam cura, & me, ut facis, ama. Non ille quidem uir malus, sed parum diligẽs: qua locutionis formula sic M. Tullius uidetur delectatus, ut in eadẽ pagina crebro repetitum inuenias. Simile est, cum per illud, pronomen indicat non quod præcesit, sed quod mox sequitur. Et in epistolis semel atque iterum dixit, cogitabam in Tusculanum. Itaque Ciceronianus sibi uidetur, qui subinde dixerit, Romam cogitabam, pro eo, quod erat, in animo habebam, siue statuerã proficisci Romam. M. Tullius anni numerum non adscribit epistolis, sed tantum mensis diem: & Ciceronianus non erit, si quis à Christi natali annum adscripserit, quod sæpe necessarium est, semper utile: Iidem non ferunt si quis honoris gratia nomẽ eius ad quem scribat, suo præferat, quod genus sit: Carolo Cæsari

Codrus Vrceus ſalutem. Par flagitium exiſtimant, ſi quid dignitatis, aut laudis addas proprio nomini, uelut, inclyto Pannoniæ Boæmiæq́ꝫ regi Ferdinando Velius S. D. Nec Plinio iuniori poſſunt ignoſcere, quòd ſuum appellat, ſi quando ſcribit amico, cùm eius facti nullum apud Ciceronem extet exemplum. Vt parum Tullianus reijcietur, qui, quod à principum officijs mutuati docti quidam nuper uſurpare cœperunt, ſummam eius epiſtolæ, cui reſpondere parat, in initio proponat, quòd id nunquam factum ſit à M. Tullio. Noui quoſdam notatos ut ſolœcos, quòd in ſalutatione pro S. D. poſuerint S. P. D. quòd negarent hoc apud Ciceronem inueniri. Nonnulli uero putant & illud Tullianum eſſe, ſalutationem non in fronte, ſed in tergo literarum ponere, quòd his uerbis admonetur lator, quas quibus deberet reddere, non ſine ſalutationis officio. Quantula res facit, ut ab hac palma decidamus? Multo uero minus erit Ciceronianus, qui ſalutarit hac formula: Hilarius Bertulphus, Leuino Panagatho totius hominis ſalutem, aut ſalutem perpetuam. Verum hic quoque longius aberit à Ciceroniano, qui ſic orſus fuerit epiſtolam: Gratia & pax & miſericordia à Deo patre, & domino Ieſu Chriſto. Item qui pro, cura ut recte ualeas, ita claudat epiſtolam: Soſpitet te dominus Ieſus, aut incolumem te ſeruet dominus totius ſalutis autor. Quos cachinnos hîc tollent Ciceroniani? Quid autem admiſſum eſt piaculi? An non

uerba

uerba Latina ſunt? munda, ſonantia, atq; etiam ſplendida? Iam ſi ſenſum introſpicias, quanto plus eſt hîc, quàm in, ſalutem dicit, & bene uale? Quid uulgarius, quàm dicere ſalutem? Prȩſtat hoc officium herus ſeruo, inimicus inimico. Quis autē crederet eſſe Latinum, Dicit illi ſalutem, & iubet illū ſaluere, niſi nobis ſermonē hunc ueterum conſuetudo commendaret? Hoc in aditu. In digreſſu, uale dicimus, & his quibus malè precamur. Quanto melior emphaſis in formulis Chriſtianorum, ſi modo uerè & ex animo ſimus Chriſtiani? Gratia declarat gratuitam condonationem admiſſorum, pax quietem & gaudium conſcientiæ, quòd deum pro irato habemus propitium: miſericordia dotes uarias & corporis & animi, quibus ſuos locupletat, arcani ſpiritus benignitas, &, ut magis ſperemus nobis hæc fore perpetua, additur, à deo patre & domino noſtro Ieſu Chriſto. Cum patrem audis, ponis ſeruilem trepidationem, aſcitus in affectum filij: cum dominum audis, confirmaris aduerſus uires ſatanæ. Non deſeret ille, quod tam care redemit, & unus potentior eſt uniuerſis ſatanæ cohortibus. Quid ſuauius his uerbis ei, qui iam hæc apud ſe ſentit? quid utilius hac admonitione ei, qui nondum in hunc affectum tranſijt? Verbis itaque non uincimur, imò uincimus potius: ſententia longe ſuperamus. Reſtat illud decorū & aptum, quod ubique cumprimis ſpectandum eſt. At hæc quanto magis conueniunt homini Chriſtiano, quàm illa, ſalu-

tem dicit,& cura ut ualeas? Tantùm facessat illa pue rilis imaginatio,nõ sic locutus est Cicero. Quid miri, si non locutus est, cum rem ignoraret? Quot milia sunt rerum, de quibus nobis frequenter dicendum est,de quibus M. Tullius ne somniauit quidem? At si uiueret,nobiscum eadem loqueretur. An non igitur frigidi uidentur imitatores,qui tantùm rerum obser-uatiunculis referunt M. Tullium, ac dissimulatis tot diuini uiri uirtutibus , numeris, tropis, formulis, ac dictiunculis,ea imitantur,quæ M. Tullio uel placue-runt,uel crebrius exciderunt? VILL. Ista Erasmi lo-quacitate nihil nobis opus erat. Est id quidem non ignotum, qui uulgaria illa & usitata aut in orationi-bus,aut in epistolis principia studio maiore referunt, partem Ciceronis referre nullam, ex Ciceronianorũ cœtu ab omnibus exibilari atq; explodi. Quis tamẽ, ut risum Bataui scurræ uitet,ab illis uocibus religiosè abstineat? Quis,si ex nobis,ut Ciceroni,inter scriben dum excidũt,affectatè nos Ciceronem in re leui imi-tari, in grauioribus à Cicerone remotos, insolenter, ut Erasmus, clamet? Quis Latinè loqui uolẽs,his uo cibus uel coactus non utatur? Venustus est non im-modicus earum usus. At uerò non hac solum affecta tione (inquit) ridiculi sunt Ciceroniani: uitant nimia religione & anxietate receptas à doctis multas scri-bendi formas. Flagitium existimant, si quid dignita-tis aut laudis addas proprio nomini. Dic, quæso, More,utrum uitiosius & reprehensione dignius pu-

tas,aut

tas, aut sic Tulliane loqui. Christophorus Longolius, Francisco Valesio regi Galliæ Sal. Aut sic Erasmicè: Inclyto, uirtutibus omnibus illustrissimo, uictorijsq; infinitis clarissimo, atq; omnium potentissimo Ferdinando Boemiæ regi, seruus humilimus, & uermiculus terræ, pauperculus monachus Erasmus, reiecto post tergum cucullo reuerenter & cum omni humilitate salutem plurimam dicit. In altero dignam uiro literato grauitatē & animi celsitudinē recognoscis: in altero hominis assentatoris, blandientis, munera inhiantis, & istis titulis potentes inescare uolentis ingenium perspicitur. Sic rem meretrices faciunt, sic nos laudibus falsis cumulant, sic bene nummatis insidiantur. Assentatorium illud salutandi genus, ut animo assentatorio est, probat Batauus assentator, & antiquo salutem dicēdi modo præfert. Ciceronianos ridet, quòd grauiter loqui malint, quàm assentatoriè. At quid illius garrulitatē imitamur? Assentetur, aduletur, titulorum splendore & cumulo, potētium dona eblandiatur: Veneri deditis, penem sesquipedalem: gulæ & uentri indulgentibus, decempedalē uentris uoraginem: bibacibus & uinosis, gruinum collum: bonorum decoctoribus, montes aureos: senibus uitè cupidis, Nestoris æuum: regnum ambientibus, Romanam potentiā: belli ducibus, Cæsaris, Pompei, Annibalisq; uictorias: eloquentiæ amantibus, non Ciceronis, quam negligit, sed suam, qua se miratur, facundiam optet, uotis à deo impetret, ad suarum epi

Salutatio Ciceroniana.

Salutatio Erasmica.

stolarum caput comprecetur. Istas Erasmi ineptias facilè patientur, quibus nota est Erasmi assentatio: At suo ille ingenio dum per nos nulla reprehensione utitur, sinat quoque, qui antiquos breuitati studentes, & ab assentatione fugientes imitantur, in epistolæ principio, assentatorios titulos, officiorum nomina, & superuacanea omnia uitióque proxima aspernari & prætermittere. Salutem plurimam dicat, & nos salutem tantùm dicentes non rideat. Rideat tamen, si libet, qui sæpius usurpatas à Cicerone locutiones, sæpius cum affectatione usurpant, & nihil unquam mutant, nihil transferunt, eos liberè cum doctis omnibus rideat, eos enim rident omnes, atque ante Erasmum nemo non iure risit. Sed quid ad risum exhortamur, risui natum & scurrilitati? Sua se sponte ad suam garrulitatem innouat, &, quæ *Theologia materia & seges loquacitatis Erasmi.* illi pro loquacitatis materia & segete est, ex theologia deblaterandi argumentum ducit, eo nos semper cuniculo, ut sorex, eludit. Aberit (inquit ridens) à Ciceroniano, qui sic orsus fuerit epistolam. Gratia, pax, & misericordia à deo patre, & domino Iesu Christo. Item qui pro, cura ut recte ualeas, ita claudat epistolam. Sospitet te dominus Iesus: aut incolumem te seruet deus totius salutis autor. Christiana hæc esse nemo inficiatur, sed ut usu trita *Ironia.* sint, opus est illa Erasmi charitas, qua flagrat, qua ardet, qua æstuat, qua ebullit: qua constans est & modestus, qua neminem offendit, qua neminem lacess

laceſsit, qua omnes amat & colit. Ea nos uelut Eraſ-
mum incẽdet, ut nihil præter Chriſtum ſpirantia ſcri
ptis noſtris affigamus, ut nullis niſi Chriſtianis uer-
bis uel nugemur, uel rixemur, uel conuitiemur. In are
na, (quod aiunt) ſua Eraſmus uerſatur, in theatro ſuo
eſt, cum de theologia ſermonẽ alicunde aucupari atq;
arripere poteſt: tum tonat, tum fulminat, tum nihil
præter Chriſtum & cogitat & loquitur, tum uel Chri
ſtum ipſum rebus omnibus ſuperare uidetur: tũ nos
ſuis ad Chriſtianam charitatem, ad Chriſtiana uerba,
ad Chriſtianũ cultum adhortationibus, tum nos into
lerabili balbutie obtundit: tum excurrit longius, egre
ditur, euagatur, aberrat: tum omnia ſermonis orna-
menta, atque rhetoricæ præcepta ad Chriſtianiſ-
mum reuocat, ut magnam animi uerè Chriſtiani ſigni
ficationem præbeat. Chriſtiana ſcribere poſſumus,
nec eamobrem ad barbariem, aut minus comptas lo-
quendi formas deflectendum eſt. An Chriſtiana men
te uel charitate (ut theologicè cum Eraſmo loquar)
ſalutem amico dicere non poſſumus, quemadmo-
dum hoc ſermone uti? Gratia pax & miſericordia à
Deo. Quis pluris hæc faciat Chriſtianiſmi noſtri
uerba Chriſtiano animo carentia, quàm Romanas
uoces Chriſtiano animo ſcriptas? Hic ſe totum fun-
dit Eraſmus, & garrire geſtiens, eam nobis interpreta
tionem admurmurat. Quantò melior emphaſis in for
mulis Chriſtianorum? Gratia declarat gratuitam cõ-
donationem admiſſorum: pax, quietem & gaudium
u 3 conſcien

conſcientiæ,quòd Deum pro irato habemus propi-tium: Miſericordia dotes uarias & corporis & animi, quibus ſuos locupletat arcani ſpiritus benignitas, quocp magis ſperemus nobis hæc fore perpetua, additur, à Deo patre & domino Ieſu Chriſto. An criminum &. ſcelerum noſtrorum gratiam nobis à Deo fieri, an Deum nobis reconciliatum neſciremus, niſi huiuſce rei memoriam ſubinde nobis excitaret, præſcripta ab Eraſmo ſalutandi formula? An aliud crepant noui inſtrumenti libri? an nos hæc parum docuere antiqui religionis noſtræ interpretes? Docuere quidem ſatis, nec ſtomacho aut ira plena epiſtola, ob Eraſmicum iſtud ſalutandi genus, aliud nos animaduertere, aut animo agitare ſinit, quàm quod ſcriptum legimus. At ſemel cucullo tectus Eraſmus, cucullatis Monachis ꝓpria ſalutatione utitur, &, ut omnes ſimiles habeat, utendum admonet. Contractum cucullo ingenium, abiecto cucullo non exuit. Vt duplex eſt fere cucullus, duplici quocp ille animo eſt. Chriſtianè ſalutat ſæpe, & aliena à Chriſtiani modeſtia lenitatecp ſcribit. Pacem ſtatim ad literarum caput loquitur, mox ſui oblitus, aut ad ſuam ſe potius naturam reuocans, conuitijs oppugnat & conuellit, furit, debacchatur. Iam ſuas Chriſtianas ſalutationes iactet, iam Ciceronianos alijs utentes rideat. Eraſmū ob fraudulentam ſuam Chriſtiani animi oſtentationem tam parum laudo, quàm certum omnibus eſt, M. Tullium barbaras iſtas uoces fuiſſe uitaturum,

Contractum cucullo ingenium, abiecto cucullo Eraſmus non exuit.

quibus

quibus, si uiueret, eum usurum asseris. MOR. Diem totum tua in Erasmum indignatione consumes, nisi te ad alia retraham, neque cætera audies, si, quæ pluribus infirmari forte possint, pluribus coneris infirmare. Colloquimur, non causam in foro dicimus, ubi amplificationum loci conueniunt, sermoni familiari non apti. Ad reliqua igitur propero. VILL. Nihil impedio. MOR. Hoc tuorum imitatorum genus ipsi Ciceroni inuisum esse debet, qui per tales imitatores non aliter infamatur, quàm bonus præceptor per malos discipulos, probus uir per improbos liberos, formosa mulier per imperitum pictorem. Perspexit hoc Quintilianus, dum queritur, Senecam infamari quorundam immodico studio, qui uitia duntaxat imitabantur: itaque fiebat, ut qui Senecam non legerant, ex illorum scriptis, Senecæ facundiam æstimarent. Quemadmodum autem nulli magis se iactant uenditantꝗ de præceptorum ac maiorum nomine, quàm indocti discipuli, & improbi filij, aliunde captantes uirtutis opinionem, cum suis bonis eam conciliare non queant: ita nulli superbiunt insolentius nomine Ciceronis, quàm qui Ciceronis dissimilimi. VILL. Notior est & illustrior Ciceronis eloquentiæ fama, quàm quæ labe aliqua aut nubecula inobscurari possit. Boni præceptoris nomen per malos discipulos non contaminatur, neque probum uirum ob improbos liberos damnamus aut aspernamur. Ciceronem qui legerit, & illum ob facundiæ

præſtantiam ſuſpicit, ſi quid poſtea legat minus eleganter à Ciceronis imitatore ſcriptum, non idcirco Ciceronem deſpiciet minus'ue mirabitur: cuius laudem noſtrum neque ſtudium, neque imitatio aut auget, aut minuit. Stat illius integra ſemper exiſtimatio, ſed ut illum exprimimus, ita docti & elegantis imitatoris laus nobis aut adeſſe aut abeſſe ſolet. Probatur in ea exercitatione noſtri uel ingenij felicitas, uel ſtupiditas & inertia ab alijs irridetur. MOR. Verum, ut, quod à nobis inſtitutum eſt, peragamus, fac eſſe qui totum Ciceronem in uerbis, figuris, & numeris exprimat, quod ipſum tamẽ an multi poſsint, neſcio, quantulum is habebit Ciceronis? Sit hoc in imitando Cicerone, quod Zeuſis fuit in effingẽdo corpore muliebri. Expreſsit lineamenta, colorem, ętatem, & ut ſummũ artificiũ præſtiterit, affectus nonnihil, hoc eſt, dolentis, gaudentis, irati, metuentis, attenti, aut dormitantis. Hæc qui præſtitit, non'ne, quicquid ars poteſt, abſoluit? Quantum licuit, uiuam hominis ſpeciem in mutum ſimulacrum tranſtulit. Nec aliud exigi poteſt à pictore. Agnoſcis formam eius, quę depicta eſt, uides ætatem & affectus: fortaſsis & ualetudinem adde, quod à quibuſdam effectum legimus, agnoſcit indolem & mores & uitæ ſpatium phyſiognomon. Sed immane quantum illic abeſt hominis? Quod ex ſumma cute conijci poteſt, expreſſum eſt. Cæterum cum homo conſtet ex anima & corpore, quantulum illic eſt unius partis, eiuſque deterioris?

Vbi

Vbi cerebrum, ubi caro, ubi uænæ, ubi nerui & ossa, ubi intestina, ubi sanguis, spiritus & phlegma, ubi uita, ubi motus, ubi sensus, ubi uox & sermo: denique ubi, quæ sunt hominis propria, mens, ingenium, memoria, consilium? Quemadmodum, quæ sunt hominis præcipua, pictori sunt inimitabilia: ita summas oratoris uirtutes nulla assequitur affectatio, sed à nobis ipsis sumamus oportet. Verum à pictore nihil aliud exigitur, si præstitit quod unum ars profitetur: à nobis, si totum Ciceronem exprimere uolumus, multo aliud requiritur. Si nostrum simulacrum, quo M. Tullium effingimus, careat uita, actu, affectu, neruis, & ossibus, quid erit imitatione nostra frigidius? Sed multo magis erit ridiculum, si tuberibus, næuis, cicatricibus, alia'ue membri deformitate demũ efficiamus, ut lector agnoscat nos legisse Ciceronẽ. Finge nos feliciter expressisse in Cicerone, quicquid hominis exprimere potest absolutus pictor, ubi pectus illud Ciceronis, ubi rerum tam copiosa, tam felix inuentio, ubi dispositionis ratio, ubi propositionum excogitatio, ubi consilium in tractandis argumentis, ubi uis in mouendis affectibus, ubi iucunditas in delectando, ubi tam felix ac prompta memoria, ubi tantarum rerum cognitio, denique ubi mens illa spirans etiamnum in scriptis, ubi genius ille peculiarem & arcanam adferens energiam? Fit sæpius ut æmulatione nostra Ciceronis dissimilimi reddamur. Nihil periculosius est, quàm affectare Ciceronis ima-

 ginem

ginem. Male ceſsit gigantibus affectaſſe ſedem Iouis. Nonnullis exitium attulit euocaſſe deos. Periculoſæ plenum opus aleæ eſt, diuinam illam & humana natura ſuperiorem exprimere linguam. Cicero naſci fortaſsis poteſt aliquis, fieri nemo. VILL. Mirarer, niſi Eraſmus in re nota & peruulgata multus & inſolens eſſe uellet. Perſpicuum eſt, atque ante oculos poſitum, lineamenta tantùm, & colorem ſimulacro à pictore imprimi poſſe, carnem, uenas, neruos, oſſa, ſanguinem, uitam, motum non inijci. Quem hæc, tacente Eraſmo, præteribāt? Igitur ut, quæ ſunt hominis præcipua, pictori ſunt inimitabilia, ita ſummas oratoris uirtutes nulla aſſeqtur affectatio, ſed à nobis ipſis ſumamus oportet. Quàndiu his nos uerborum inuolucris Eraſmus implicabit? quàndiu his nos exemplis impudenter cruciabit? An quiſquam id arbitratur, ſimulacrum, quo Ciceronem referre contendimus, inuentione, memoria, pronuntiatione conſtare? Hæc, uitam, actum, affectum, neruos, & oſſa ſimulacri Ciceroniani Eraſmus uocat, quæ uix in ſimulacro præſtamus: ſic imitatione noſtra nihil eſt frigidius, Ciceronem non exprimimus. Quis etiam (inquit) illud Ciceronis pectus, quis rerū tam còpioſam, tam felicem inuentionem, quis diſpoſitionis rationem, quis propoſitionis excogitationem, quis conſilium in tractandis argumentis, quis in mouendis affectibus, quis tantarum rerum cognitionem referat? Ad inſulſas iſtas Eraſmi uoces nemo riſum teneat, aut

indigna

indignatione non ferueat. Sed neutrum uiro graui conuenit. Quanquam improbitate magis, quàm ineptijs peccat, grauitatem tamen retinebimus, constantię cedemus, & à nobis ille ita urgebitur. Quid nos, ut ſummas Tullij in dicẽdo uirtutes animaduertamus; & cognoſcamus, aut incitat, aut perficit? Eam animaduertendi cupiditatem, & cognoſcendi facultatem à natura proficiſci non dubitas. Itaque an, quæ nos ad ea animaduertenda mouet, & ad cognoſcenda iuuat, ſimilia conantes deſeret? An nobis cupiditatem iniecit, quam explere uel nolit, uel nequeat? An Tullio uni ad benè dicendum uiam patere uoluit, cæteris omnibus interclusit? Maneret modò forenſis uſus; honos eloquentiæ haberetur, eſſet oratoribus apud nos locus: cauſas dixiſſent antea multi, dicerentq́ nunc non pauci, in quibus non unum Ciceronem, ſed ſexcẽtos agnoſceres, à quibus Ciceronem non ſolum exprimi, ſed æquari, & ſuperari forte diceres. Confiteor equidẽ artis oratoriæ, ſicut rerum omniũ, naturam eſſe principem, ſed ſimul in illa maneo ſententia, eandem rerum parentem, quæ nobis uirtutum omnium igniculos, & diſciplinarum amorem ingenerat, Ciceronẽ in hoc pepeciſſe atq; procreaſſe, ut in eo omnia artis dicendi ornamenta & uirtutes diſpicere poſſemus. Quare ſi ars tota dicendi, imago quædam eſt & ſimilitudo in ingenijs omnium inſita, quo potius oblectabimur, cui potius ſimiles eſſe cupiemus, quàm ipſi illi, in quo ueram artis oratoriæ imaginem

contemplemur? Quem potius amplectemur, cui potius hærebimus, quàm illi, cuius lectio & imitatio, eā, quæ orta est iam in nobis & procreata, artis oratoriæ facultatem educet & confirmet? qui ea, quæ animis nostris affixa sunt, & à sensu tradita atque imposita artis dicendi studia, consuetudine & exercitatione, quò aspirant, deducat? qui nobis elegantem uerborum apparatum conferat? qui non in aures nostras dicēdi præcepta, ut rhetores, infundat, sed qui, quatenus, & quomodo dici singula oporteat in animo nostro suis orationibus inscribat? Cui potius studebimus, quàm ei, in quo certa sunt & obuia, quæ imitari possis, omnia? in quo omnia patent, in quo sese ultro omnia ad imitationem offerunt, atque prostituunt? quo lecto nihil dediscendum, nihil emendandum, nihil corrigendum? Neque certe id uerendum est, quod Batauus tuus plerisque accidere scribit, ut tuberibus, næuis, cicatricibus, aliáue membri deformitate Ciceronem referamus. Cui tam effrenata maledicendi libido grauitatem non excutiat? quem ad loquacitatem non impellat? Næuis tuberibusq;, cicatricibus, membrorum mutilatione deformē Ciceronē? Quæ corporis, id est scriptorū, uitia, si in eo uerseris, contrahas, quibus deformis, ut ille, fias? Ad hanc insani uocem, hæc mox alia furentis uerba accedunt. Vt male (inquit) cessit gigantibus affectasse sedem Iouis: ita periculosæ plenum opus aleæ est, Ciceronis linguam exprimere. Libēter obtrectatorem aliquando

do euolutum integumentis dissimulationis suæ nudatumq; uideo. Euomuit tandē, quod illi stomachū premebat, inuidiæ suæ uirus. Quod eum adduxit, ut Dialogum suum Ciceronianum scriberet, ubi eximiè generoseq; executus est, & Lōgolij laudes, quantum licuit, obtriuit, ne uni tantùm inuidisse uideretur, posterorum commodis & gloriæ insidias tendit. Ciceronis imitationem periculi & aleæ plenam clamat, damno aliquo, credo, ob Ciceronis lectionem affectus. Easdem dedit ob nimium Tullij studiū pœnas, quas Hieronymus. Vapulauit acerrimè, uerberibus, Dei iussu, cæsus est. Iniquè eam ob rem cæsum utrunq; dicerem, nisi diuinitus hoc factum uulgo iactitaretur. Etenim ne horam quidem in Ciceronis lectione ab utrouis positā constat. Nihil utroq; à Cicerone remotius, nihil longius obductū, nihil minus Ciceroni simile. Illis tamē nugis cupide nos in metū adduceret Erasmus, isto nos dolo libenter à Ciceronis imitatione deterreret: sed stultis forsitan uerba dabit, paulo prudentioribus ista calliditate non imponet. Diuinam Ciceronis eloquentiam, ut Erasmus, nobis dei non inuident, illam unam ut colamus, præcipiūt & iubent, nec se quicquam præstantius dedisse hominibus fatentur. MOR. Finge nos & tibi & deorum consilio uel iussis assentiri atq; morem gerere. A' me tamen audies illud Horatianum,

Ridicula Hieronymi pena ob Ciceronis lectionē.

—Breuis esse laboro,
Obscurus fio, sectantem læuia nerui

Deficiunt,animiq; : profeſſus grandia turget.
Ita qui affectant atticiſmum, pro argutis ac uenuſtis fiunt aridi : qui genus Rhodiēſe, diſſoluti : qui Aſiaticum, timidi. Laudata eſt in Salluſtio compoſitionis breuitas, non'ne ſi quis hanc ſuperſtitioſè conetur æmulari,periculum ſit, ne conciſus & abruptus euadat? Prædicatus eſt in Demoſthene uerborum & argumentorum modus, cui nihil poſsis detrahere. Ad hanc laudem æmulandam ſi quis componat ſe anxiè, quo Demoſthenicus eſſe uideatur, periculo uicinus eſt,ne minus dicat, quàm oportet. Applauditur Iſocratis, Socratis ſtructuræ numeriſq;. Huc qui uehementer annitatur,in periculum ueniet,ne ſuperſtitione compoſitionis ſit moleſtus, & artificij iactatione fidem amittat.Senecæ laudata eſt copia.Huius incautus ac ſedulus æmulator, periclitatur, ne redundans & immodicus euadat pro copioſo. Bruti grauitatem ſi æmuleris anxiè, fortaſsis triſtis & aſper euades.Laudatur Criſpi iucunditas.Huius æmulator ueniet in diſcrimen, ne pro iucundo fiat ineptus aut leuis. Noui qui cum mirabilem illam Ouidij facilitatē conarētur exprimere,uerſus effutirēt, & neruis & ſpiritu carentes, Et ne ſingulos commemorando tibi fiam moleſtus, dicam in genere quod reſtat. In quibuſdam eminet argumenti ſubtilitas, hanc qui uehementer affectat,periclitatur,ne uel frigidus,uel obſcurus ſit. In alijs admiramur felicem artis neglectum. Hoc qui cōtendit effingere, fortaſsis in uulgare dicendi uel

di uel potius garriendi genus incidet. In alio dilucet ſumma artis obſeruatio. Id qui nitatur exprimere, incidet in ſcænicum quoddam dicendi genus. Atticæ frugalitati proxima eſt exilitas: copioſo uerborum fluxui, uicina eſt loquacitas. Ex ijs uero ſunt quædã, quæ ſic eminent in autoribus, ut pro uitijs habenda ſint, niſi iunctis uirtutibus penſarentur: quemadmodum in Seneca compoſitionis abruptum, & ſententiarum immodicarum denſitatem multæ uirtutes excuſant, ut præceptorum ſanctitas, uerborum ac rerum ſplendor, & iucunditas orationis. Nec Iſocratis laudaretur cõpoſitio, niſi perſpicuitas dictionis, & ſententiarũ grauitas illi patrocinarẽtur. Quæ omnia huc pertinent, ut, cùm in Cicerone tam multa ſint huiuſmodi, periculoſam ſcias Eraſmo uideri illius ſuperſtitioſam & addictã æmulationẽ, quando uirtutes, quibus iſta uel commendauit, uel texit, æmulari non poſſumus. Tam fluidum eſt illi dictionis genus, ut remiſſus ac ſolutus alicubi uideri queat: tam exuberans uerborum copia, ut redundans: tàm artis obſeruans, ut declamatori, quàm oratori propior, fidei iactura captans artificij gloriam: tam liber in inſectando, ut maledicus haberi poſsit: tam effuſus in iocos, ut Catoni conſul riſum mouerit: tam blandus alicubi, ut abiectus: tam compoſitus, ut, ſeuerioribus ingenijs mollis ac parum uir dictus ſit. Hæc ut fateamur in Cicerone uitia non eſſe, propter inſignem illam naturæ felicitatem, quam decent, quæ facit omnia: ut

Declamatori, quã oratori propiorẽ Ciceronem uocat Eraſmus.

etiam uirtutes ſint,ſic tamen ſint,ut ob uiciniam non careant ſpecie uitiorum ſub iniquo iudice, attamen ille reprehenſionem eximijs ac plurimis uirtutibus penſauit,ut omnium iudicio calumniator impudens habeatur, qui conetur aliquid in huius oratione reprehendere. VILL. Nullum hactenus Eraſmus dedit maius aut expreſsius ſuæ uel loquacitati, uel obtrectationi,uel diſsimulationi teſtimonium. Loquacitati indulget,qui rem neq; cuiquam dubiam, neque neceſſariam, uerboſius perſequitur. Obtrectationis ſuſpitionem infert,qui florentiſsima uirum gloria,& omni laude præſtantem notis turpiſsimis labefactat. Diſsimulationẽ aperte prodit ſuam,qui nefariè inflictum uulnus, leuiter poſtea abſterget. Nimirum cuius niſi loquacis, fuit, Attico, Rhodienſi, Aſiatico ſcribendi generi finitima uitia enumerare? Salluſtij breuitatẽ iucunditatemq; prędicare? in Demoſthene argumentorum modum oſtendere,omnia deniq; in omnibus ſcriptoribus examinare, ut nobis periculoſam cùm reliquorum, tum Ciceronis imitationem probaret,ut nos à Ciceronis ſtudio reuocaret? Cuius porrò niſi obtrectatoris, fuit, Ciceronem tam fluidum appellare, ut remiſſus ac ſolutus uideri queat: tam exuberantem, ut redundans: tam artis obſeruantem, ut declamatori,quàm oratori propior: tam liberum in inſectando, ut maledicus haberi poſsit: tam effuſum in iocos,ut ſcurra: tam blandum,ut abiectus: tam compoſitum,ut mollis uideatur? An iſta

ad

ad laudem, non obtrectationem pertinent? an ista ad ornandum, non detrahendum apta sunt? Simul cum [redacted] garrulus & loquax dicar, si, quæ à Cicerone antea propulsaui, eadem nunc in illum ab obtrectatore collecta & exaggerata, pluribus amouere studeam. Gaudebo potius, & summa lætitia efferar, duplex senis ingenium perspici, dissimulationem prodi, iniquum animum patêre. Ciceronem ubi uitijs obrutum probare adnixus est, sic inuidiam occultat. Attamen (inquit) ille reprehensionem omnem eximijs ac plurimis uirtutibus pensauit. Quem igitur supra omnem reprehensionem esse putabamus, uitio non omni caret, caret autem? at uitijs omnibus scatet: remissus est, & solutus, redundans, artis nimium obseruans, Declamatori, quam oratori propior, maledicus, effusus in iocos, abiectus, mollis, parum uir, exanguis. Colligit hæc Ciceronis uitia identidem [redacted], hæc diligenter notat, hæc exponit, ut à scriptoris tam uitiosi lectione imitationeq; refugiamus. Sed quæ uitia sunt, uel uitio proxima, diuinis texit uirtutibus. Est'ne iam, qui [redacted] uel dissimulationem, uel inconstantiam animi, uel stultitiam ignoret? Contaminauit, quem postea ornat: lenit, quem offenderat: hos astus nobis occultos, hanc calliditatem nobis ignotam putat. Quibus redundat uitijs Tullius, ea nos posse sequi scribit, uirtutes inimitabiles dicit, nec ab exẽplo præceptis'ue peti posse affirmat. Colligit, nullius imitationem esse periculosiorem, quàm

Ciceronis: quem ſi totum & unum tibi propoſueris, non in hoc tantùm, ut illum exprimas, uerumetiam uincas, non prætercurrendus erit, ſed relinquendus magis. Alioqui ſi illius copiæ uelis addere, fies redundans: ſi libertati, fies petulans: ſi iocis, fies ſcurrilis: ſi compoſitioni, fies pro oratore cantor. Itaque fit, ut ſi Tulliũ æquare ſtudeas, pericliteris, ne hoc ipſo peius dicas. [redacted]. Habet obtrectator, in quo maledicta ſua copioſe effundat. Prope eſſe putat, ut iſtis inuſtis Ciceroni notis territa iuuentus, Ciceronem uelut deformem fugiat, ut Tullium tot maculis contaminatum negligat, ut periculi plenam Ciceronis imitationem reijciat, ut uiam flectat, & ſtudium ſuum omne in nugas conferat, ut pro orationibus Ciceronis, Querimoniam pacis legat: ut Ciceronis diuinitatem faſtidiat, & neſcio quas Colloquiorum, Adagiorum, Encomiorum quiſquilias tricaſq; recipiat. At hoc ſtupidis ſuadebit, recte inſtitutos à Cicerone non auellet. Periculi nihil habet illius imitatio, neque hoc eſt timẽdum, ne, ſi illum exprimere, æquare, uincere contendamus, tum aut redundãtes aut petulantes, aut ſcurriles ſimus. Illius copiæ, libertati, iocis, compoſitioni nihil addemus, cui nihil addi poteſt, ſed copia, iocis, compoſitione rectè & peritè, ut ille, utemur, hocq; tantùm Ciceronem uincemus, ſi id aſſequemur, ut illi pares, non illo inferiores uideamur. MOR. Eſt alius ſcrupulus, qui magis urget animum, ſi non grauabe-

ris

ris audire. An cenſes ullum hominem eloquentis no-
men promereri, qui non dicat aptè? Nequaquam:
quandoquidem hæc præcipua uirtus eſt oratoris, ap-
poſitè dicere. Verùm illud appoſitum, unde perpen-
ditur, non'ne partim à rebus, de quibus uerba fiunt:
partim à perſonis, tum dicentium, tum audientium:
partim à loco, tempore, reliquiſq; circunſtantijs? Ita-
que non erit Ciceronianus, ſi quis in theatro diſſerat
de Stoicorum paradoxis, deq; Chryſippeis argutijs:
aut apud Areopagitas in capitis diſcrimine laſciuiat
facetijs: aut de re culinaria, uerbis ac figuris tragico-
rum loquatur. Iſte nihilominus ridiculus erit orator,
quàm ſi quis in tragico cultu ſaltet Atellanas: aut fe-
li, quod eſt in prouerbijs, inducat crocoton, ſimiæ
purpurã, Bacchum aut Sardanapalũ leonis exuuio,
& claua exornet Herculis. Nihil enim laudis meretur
quamlibet per ſe magnificũ, ſi ſit ineptũ. Nec M. Tul
lius, q ſuo ſeculo dixit optimè, dixiſſet optimè, ſi æta-
te Catonis Cenſorij, Scipionis, aut Ennij, ſimili mo-
do fuiſſet locutus. Nõ tuliſſent priſcorũ aures cõptũ
illud & numeroſum dictionis genus, nimirum horri-
dioribus aſſuetæ. Nam iſtorum oratio moribus illo-
rum temporum congruebat. Oratio quaſi ueſtis eſt
rerum. Veſtis autem, quæ decora eſt puero, non de-
cet ſenem: nec, quæ fœminæ congruit, conueniret ui-
ro: nec, quæ decet in nuptijs, deceret in funere: nec,
quæ laudi dabatur olim ante annos centum, nunc

probaretur. Contemplare in picturis, non admodũ uetustis, fortaßis ante annos sexaginta editis, cultum mulierculärum aulicarum ac procerum, quo si quis nunc prodeat in publicum, futurum sit ut putribus målis à pueris ac morionibus lapidetur. Quis enim nunc ferat in honestis matronis cornua, pyramides, metasq; prælongas in uertice prominentes, frontes ac tempora pilis arte uulsis glabra ad medium propè cranium: in uiris pileorum thoros cum ingenti cauda pensili, oras uestium insectas, thoros in humeris tumentes, cæsariem duobus digitis supra aures derasam, uestem longe breuiorem, quàm ut ad genua porrigatur, uix pudenda tegentem, calceos rostris in immensum porrectis, catenam argenteam à genu ad talum reuinctam? Nec illis temporibus minus prodigiosus fuisset cultus, qui nunc habetur honestißimus. Da nunc, si libet, Apellem ex pictoribus: qui suæ ætatis & deos & homines optime pingere solitus est, si quo fato rediret in hoc seculum, & tales pingeret Gallos, aut Germanos, quales olim pinxit Græcos, tales Monarchas, qualem olim pinxit Alexandrum, cùm hodie tales non sint, non'ne diceretur male pinxisse? Si tali habitu pingeret quis deum patrẽ, quali pinxit olim Iouem; tali specie Christũ, quali tum pingebat Apollinẽ, num ꝓbares tabulã? Quid, si quis uirginẽ matrẽ hodie sic exprimeret, quẽadmodũ Apelles olim effigiarat Dianã? Et si quis templa

templa noſtra talibus ornaret ſimulacris, qualibus olim Lyſippus ornauit phana deorũ, num hunc dicer es Lyſippo ſimilẽ? V I L. Quorſum hæc, niſi ut ſuo in Longolium odio Eraſmus obſequatur? niſi ut illum ineptè minimeq; appoſitè cauſam dixiſſe probet? ſicq; oratoris nomine ſpoliet? uiri iudicio carentis fama contaminet? Ingenio nemo eſt tam ſtupido, qui ſummã primamq; oratoris uirtutem eſſe neſciat, apte appoſiteq; dicere, ſed nec ille dubitat, uerba rebus ſeruire, quæ non cum rerum ſtatu mutantur, ſed ad res & occidentes, & renaſcentes apte ſemper appoſiteq; accõmodari poſſunt: niſi forte Eraſmus (ut antiquitatem aſpernatur, & nouitatis cupidus eſt) nouam linguæ Latinæ formam induci uelit, & antiquum ſermonem repudiari. Iudicio acri orator, & prudens, non in theatro de Stoicorum paradoxis diſputabit, neque in capitis diſcrimine facetijs laſciuiet, nec de re culinaria uerbis ac figuris Tragicorum loquetur, nec Sardanapalum leonis exuuio, aut Herculis claua ornabit: omnia rebus, perſonis, tempori, & loco apta conuenientiáq; obſeruabit, quod ut aſſequi & exequi poſſit, iuuat mirum in modum Ciceronis lectio, atque imitatio: qui ſi ætate Catonis Scipioniſq; fuiſſet, aut ſi hoc tempore uiueret, dixiſſet apte tum ille quidem, nuncq; etiam appoſitè diceret, ijſdem prorſus uerbis, quibus ſua ætate dixit. Tuliſſent & Catonis & Scipionis aures comptũ illud & numeroſum dictionis genus, tametſi horri-

dioribus assuetæ horridiora reiecissent, splendidiora politioraq́ admisissent: nos omnia diuinè dicentem oratorem miraremur. Rem nostri temporis quamlibet, puris illis Romanorum uerbis, aut suaderet, aut dissuaderet. Orationē uero uesti cōpara. An in ueste cōficiēda uariatur necessario pannus? Nihil certe minus. Pannum eundem semper in alias atq; alias formas scindit cōsuitq́ sartor. Ita in oratione construenda, eadē semper, nec ullo tempore, aut ætate immutata linguæ Latinæ uerba ad rem nostram accōmodamus, sententias uariamus. Non dabo hoc autē, ut cultus pro diuersis hominum studijs & luxu quotānis immutatur, sic uerba subinde uariari: concedā tantùm, speciem orationi pro re præsenti adijci. Fuerit cultus ante honestissimus, qui nostris temporibus prodigiosus haberetur. Sane quæ elegantia erant & uenusta tempore Ciceronis uerba, dicendiq́ modus pulcher, nostra ætate nihilominus elegans est, & uenustus, & pulcher. Sed loquacitati Erasmi dum altera parte respondi, altera impudentius garrit. Si Gallos (inquit) tales pingeret, quales olim Græcos Apelles pinxit, aut si quis tali habitu deum patrem pingeret, quali pictus est olim Iupiter, num probaremus tabulam? Digna certè loquaci quæstio. Græcos, ut temporibus illis, Apelles pinxit, Gallos, si uiueret, & necesse esset, ut his temporibus, picturus, & formam rei propositæ expressurus, neque quisquam est, qui deum patrem, ut Iouem pingeret; Illi canicies est, barba

barba promiſſa, plena annis facies & rugoſa, columbus ſuper caput uolitans: hic ætate florenti pingitur, ſceptrum gerẽs, quo fulmina iaculatur, aliquãdo inter diuos accumbens, nectar ſorbillans, Ganymedem ſuauians, nutu terram concutiens, Mercurio mandata dans, aut ad Argum occęcandũ, aut Ledam, Semelem'ue ſalutandam, aut ad Amphytrionẽ, ne cum Alcmena in opere deprehẽderet, obſeruãdum. Quis tamen, ſi quid ſit pingẽdum album, ſi quid nigrum, ſi quid flauum, ſi quid cœruleum, pictori uulgatos colores omittendos, & nouos quærendos putat? Iiſdem coloribus utitur pictor, artem ſolùm & lineamentorum ductus ad ſimulacrum attemperat, quo uel Iouem, uel deum patrem, uel Chriſtũ, uel uirginẽ matrem exprimere nititur. Eodem modo ſi quis Latinè Græce'ue ſcribet, nõ aliũ ſermonem, quàm quo uel Romæ, uel Athenis utebãtur, aſſumet, nec eam obrẽ minus aptè, aut appoſitè tum dicet, tum ſcribet, modo arte perficiat, ut in re ipſa nihil ſit uel intra, uel extra, uel ſupra, uel contra rem. In quo Ciceronis & uerba & artem planè imitari licebit. MOR. Quid? uidetur præſens ſeculi ſtatus, cum eorum temporũ oratione congruere, quibus uixit ac dixit Cicero? cùm ſit in diuerſum mutata religio, imperium, magiſtratus, reſpub. leges, mores, ſtudia, ipſa hominum facies, denique quid non? Quid igitur frontis habeat ille, qui à nobis exigat, ut per omnia Ciceronis more dicamus? Reddat is nobis prius Romam illam, quæ

fuit olim, reddat Senatū & curiam, Patres Conscriptos, equestrem ordinem, populum in tribus & Centurias digestum: reddat augurum & aruspicum collegia: Pontifices maximos, flamines, & uestales, ædiles, prætores, tribunos plebis, consules, dictatores, Cæsares, Comitia, leges, senatus consulta, plebiscita, statuas, ouationes, supplicationes, phana, delubra, puluinaria, sacrorū ritus, deos deasq́, Capitolium, & ignem sacrum: reddat prouincias, colonias, municipia, & socios urbis rerum dominæ. Porro quum undiquaq; tota rerum humanarum scæna inuersa sit, quis hodie potest apte dicere, nisi multum Ciceroni dissimilis? Adeo mihi uidetur res ipsa clamitare, neminem posse benedicere, nisi prudens recedat ab exemplo Ciceronis. Quocunq; te uertas, uideas mutata omnia, in alio stamus proscænio, aliud conspicimus theatrum, imò mundum alium. Quid facias? Christiano tibi dicēdum est apud Christianos de religione Christiana: num ut aptè dicas, imaginabere te uiuere ætate Ciceronis? & in frequēte senatu apud Patres Cōscriptos in arce Tarpeia dicere, & ex orationibus, quas in senatu dixit Cicero, uoculas aliquot, figuras, & numeros emendicabis? Habenda est concio apud promiscuam multitudinem, in qua sunt & uirgines, & uxores & uiduæ: Dicendum est de laude ieiunij, de pœnitentia, de fructu orandi, de utilitate eleemosynarū, de [illegible]tate matrimonij, de contemptu rerum fluxarum, de studio literarum diuinarum,

rum, quid hîc opitulabitur tibi Ciceronis eloquẽtia? Cui quemadmodum res, de quibus dicendum eſt, erant ignotæ: ita non potuerunt uſitata eſſe uocabula, quæ poſt illum noua cũ rebus nouis exorta ſunt. An non frigidus orator erit, qui ad has materias ueluti pannos Ciceroni detractos aſſuat? VILL. Ciceroni qui ſtudeat, & ea tractare uelit, non pannos Ciceroni detractos conſuet, ſed Ciceronis lectione, comparata tum ſplendida uerborum copia, tum ſcribendi forma elegantiore & uenuſtiore facta, ornatè, ſplendidè, copioſe, uarie, diſtinctè & dicet, & ſcribet, quæ uel [redacted] ſimilis, Adagiorum centonibus implicabit, atque inuoluet. At mutatus eſt temporum ſtatus, mutata in diuerſum religio, imperium, magiſtratus, reſpub. leges, mores, ſtudia. Ciceronianè ut dicamus, reddatur prius Roma neceſſe eſt, cum ſuo ſenatu & curia, cum patribus conſcriptis, cum equeſtri ordine, cum populo in tribus & centurias digeſto. His'ne, More, minutulis uocibus & nominibus conſtat Ciceronis eloquentia? An ob hæc tantum uerba omnibus in dicendo præſtitit? An his tantum dictionibus lingua Latina continetur? Pluribus non repetam, quæ ſatis à me antea diſputata ſunt, nec, ut [redacted], faciã, qui ut libri ſui nugis & loquacitate inturgeſcãt, eadem millies infercit atq; inculcat. Itaque quod ad hanc rem pertinet, à me ſic ſemel habeto. Nihil eſt, quod [redacted] obijciat, mutata eſſe omnia, in alio nos eſſe proſcænio, aliud nos ſpectare

z theat

theatrum, in hac rerum immutatione, ſi Chriſtiano dicendum eſt apud Chriſtianos de religione Chriſtiana, non, ut aptè dicat, neceſſario imaginabitur ſe uiuere ætate Ciceronis, & frequente ſenatu apud Patres Conſcriptos in arce Tarpeia dicere, ſed primùm, qua diues erit, & bene inſtructus, egregiam uerborū ſententiarumq; Ciceronianarum, id eſt, uocum puriſsimarum & ſplendidiſsimarum, atq; ſententiarum graui & ſapienti oratore dignarū, reiq; congruentiū ſupellectilē exponet: quæ ſi curta ſit in eo genere, & uerba rei Chriſtianæ apta deſint, tū, quę cōſuetudine diuturna trita ſunt, & doctorꝝ iudicio non impura, libere aliunde aſſumet, atq; ſententiarum pondus ex ſacris literis corrogabit: ſicq; & Ciceronianè & Chriſtianè dicet, neq; ridiculus aut ineptus erit, ſiue de laude ieiunij, ſiue de pœnitentia, ſiue de fructu orandi, ſiue de utilitate eleemoſynarum, ſiue de ſanctitate matrimonij, ſiue de contemptu rerum fluxarꝝ, ſiue de diuinarum literarꝝ ſtudio orationē habeat: Quæ quoniam Ciceronianè tractare non potuit, Ciceronianè tractari non poſſe putat [redacted]. Sed quo hęc modo Ciceronianè tractaſſet, temporum noſtrorꝝ nouis uocibus addicta, qui ſoluta alia & libera Ciceronianè non ſcripſit? tanto uir in eloquētes odio, tanto maledicendi ſtudio ardens, ut, quæ nec aſſecutus eſt, nec præſtitit, ea eximie præſtātes aut criminetur, aut perpetuo rideat, nec ullam orationis formā probet, niſi prouerbiorꝝ farragine, & exemplorꝝ cumulo extructam.

ctam. Quousq; uerò affluere mendacijs senem patiemur? Hanc unam habet garriendi materiã, Ciceronis quòd simios esse dicat, quibus sordent uerba omnia, nisi ex Cicerone deprompta: qui religionis nostræ uoces, ut putidas & squallidas aspernãtur. Modum iam faciat garriẽdi senex: nominet, proferat, indicet Ciceronianũ quendã tanta in uerbis aut solicitudine aut religione, qui si alias uoces non reperiat, uel ad cultũ nostrum maxime appositas esse sciat, ab eis religiose temperet aut abstineat: tum cum illo ridebimus, tum Ciceronianos conuitijs, ut ille, lacerabimus. Sed cùm sciant, qui Ciceronem imitãtur, multa ab eo in libris rhetoricis & philosophicis ficta atque inducta uerba Latinis antea inaudita, cùm etiã apud eum reperiant beatitatem, beatitudinẽ, finem bonorũ, uisum, uisionem, speciem, propositũ, reiectum, occupationẽ, contentionem, superlationẽ, complexionẽ, traductionẽ, frequentationẽ, licentiã, gradationẽ, statum, constitutionem, indicationem, continens, firmamentũ, inductionẽ, propositum, aggresionẽ, insinuationẽ, acclamationem, & sexcenta alia uel peregrina planè, uel in eam significationem detorta, quam Pop. Rom. non agnoscebat, an uerisimile est, illos Ciceronis exẽplo, quæ linguę Latinę deesse uidẽt, aliũde mutuari dubitare? Non dubitãt mehercule, necq; uoces Christianas horrent: quod genus sunt, ecclesia, apostolus, episcopus, catholicus, orthodoxus, hæreticus, schisma, charisma, dogma, chrisma, Christus, baptizo, paracle-

tus, euangelium, euãgelizare, euangelista, proselitus, cathecumenus, exorcismus, eucharistia, symbolum, anathema. Hæc & his similia, si quãdo opus erit, usurpabunt. Veruntamẽ, an huiusmodi uocibus necessario in orationẽ nostrã immigrãtibus, uel ornatiores, uel sordidiores sumus? An his continet Ciceroniana dicẽdi forma? Aliud est, quòd à te quæsitũ uelim, & dissolutũ, si poßis, quod te posse non spero. Finge Ciceronianũ quempiam orationem de re Christiana habere apud promiscuam multitudinẽ, in qua sint uirgines, uxores, uiduæ, & curati melius sacerdotes, quàm curãtes, turba ut artium omnium, ita linguæ Latinæ ignara: an quòd Christũ sæpe nominet, an quòd ecclesiam, fidem, & illas tuas uoces tertio quoq; uerbo repetat, rem ideo apertius explicabit? an magis delectabit? an acrius cõmouebit? Obstupescet utiq; imperita multitudo, neq; ob frequentem christianorũ uerborum usum & inculcationẽ, christum charius aut iucundius amplexabitur. Quòd si doctis & linguæ Latinæ nõ uulgariter peritis scribat, ut doctis docti non indoctis scribunt, aut si coram eloquẽtibus & facũdis uiris de re christiana oret, ac pro ecclesia sacrã concionem, aut ciuitatẽ, aut remp. pro ethnico perduellem: pro hæresi, factionem: pro schismate, seditionẽ: pro fide christiana, christianã persuasionẽ: pro excõmunicatione, proscriptionẽ: pro excõmunicare, diris & igni interdicere: pro apostolis, legatos: pro Romano Pontifice, flaminẽ dialem: pro cõsessu Cardinalium,

Patres

Patres Conſcriptos: pro ſynodo generali. S. P. R. Reipub. Chriſtianæ: pro Epiſcopis, Præſides prouinciarum: pro electione Epiſcoporum, comitia: pro ſynodica conſtitutione, Senatusconſultum: pro Summo Pontifice, ſummum ciuitatis præfectum: pro Chriſto capite eccleſiæ, ſummum Reipub. Præſidem: pro diabolo, ſycophantam: pro propheta, uatem, aut diuinum: pro prophetijs, oracula diuûm: pro baptiſmo, tincturam: pro Miſſa, uictimam: pro conſecratione Corporis Dominici, Sacroſanctum panificium: pro Euchariſtia, ſanctificum cruſtulum: pro Sacerdote, ſacrificulum aut ſacrorum antiſtitem: pro Diacono, miſtam aut curionem: pro gratia Dei, numinis munificentiam: pro abſolutione, manumiſſionem ponat: an doctos audientes, minus aut docebit, aut oblectabit, aut commouebit? Verba propria non eſſe ſcient & pulchre translata dicent, alluſiones laudabunt, remq́; tam eximijs uerborum ornamentis illuſtratam illuminatamq́; mirabuntur. MOR. Paganitas eſt Villanouane, paganitas eſt, quæ iſta perſuadet auribus atque animis noſtris. Titulo duntaxat ſumus Chriſtiani, corpus aqua ſacra tinctum eſt, ſed illota mens eſt: frons cruce ſignata eſt, animus crucem execratur: Ieſum ore profitemur, ſed Iouem optimum maximum & Romulum geſtamus in pectore. Alioqui ſi uere, quod dicimur, eſſemus, quod tandem ſub ſole nomen oportuit uel cogitationibus, uel auribus noſtris eſſe iucundius, nomine Ieſu? per

quem à tantis malis erepti, cuius gratuita benignitate ad tantam dignitatem uocamur, ad æternam felicitatem inuitamur: ad cuius mentionem contremiſcunt impij ſpiritus, generis humani pluſquàm capitales hoſtes: ceruices ac genua ſubmittunt æthereæ mentes. Quod tam efficax eſt, ut ad huius inuocationem fugiant dæmones, cedant immedicabiles morbi, reuiuiſcant mortui: tam blandum & amicum, ut nulla ſit tam acerba calamitas, quin magno ſolatio leniatur, ſi Ieſum ex animo nomines. Et hoc nomine perſuademus nobis ſordidari nitorem orationis, cum Annibal, & Camillus mera ſint orationis lumina? Eijciamus, reuellamus, profligemus ex animo paganitatem hanc, pectus uere Chriſtianum ad lectionem adferamus, & uidebimus lucidiſsimam ſtellam additam orationi, quoties Ieſu Chriſti nomen fuerit inſertum: eximiam acceſsiſſe gemmam, quoties Virginis matris, quoties Pauli, Petriq; nomen admiſcebitur: multum decoris acceſsiſſe, quoties ex diuinarum literarum adytis, quoties è ſpiritus ſancti lecythis ac myrothecijs, ſententiam uiderimus interiectam. Mihi crede, ſub Ciceroniani nominis uelo, per ſpecioſi tituli prætextum, inſidiæ tenduntur ſimplicibus, & ad fraudem idoneis adoleſcentibus. Paganitatem profiteri non audemus, Ciceroniani cognomen obtendimus. VILL. Quis ſic loquentem Eraſmum audiens, Eraſmum eſſe exiſtimet? [redacted] boantem

tem

tem, tonantem arbitretur? sed fallor: Erasmũ omnes agnoscent, qui Erasmi consuetudinem non ignotam habent, nulla in re, quàm in theologico sermone loquacioris, aut insolentius garrientis. Subito è recta deflectit, & se in suæ dicacitatis campum rapit: ubi Longolio detraxit, ubi Ciceroni, quas potuit, notas imposuit, ubi nos ab illius lectione reuocare conatus est, nec se quicquam profecisse uidet, tergiuersatur nõ incallide, Ciceronis imitationem, paganitatem uocat: titulo duntaxat eos esse Christianos clamat, Iesum ore profiteri, sed Iouem optimum maximum, & Romulum in pectore gestare scribit, qui Cicerone oblectantur: tum titillante garrulitatis uoluptate, sese in nominis Iesu laudatione fundit, illius uim explicat, illud multis dignationibus cumulat, nemini ignotis quidem illis, sed in hoc tantùm ab eo exaggeratis, ut liberius profusiusq́ garriret, ut nos sua loquacitate obtunderet. Probatum est à nobis proxime minutulis istis uocibus nihil arti dicendi aut addi posse, aut detrahi. Quid plura in eam rem adducam? offert se aliud, in quo paulum immorandum est, ut Erasmi maledicta reprimamus, ut tantam conuitiandi libidinem compescamus. Paganitas est (inquit) quæ Ciceronis imitationem suadet. Paganitatem profiteri non audemus, Ciceronianum nomen obtendimus. Inaudita ista Bataui graculi garrulitas, perniciosum istud [redacted], mentem mihi penè adimit, facitq́, [redacted] an tam [redacted]

cum hominem à natura potuiſſe procreari, an à no- bis uel cum fauore & beneuolentia tam diu tolerari. Paganitatem Ciceronianis obijcit. Te in paganitatis ſuſpitionem uocat Sadolete, qui Ciceronem tam pul- chre refers. Te eadem perſtringit Bembe, qui totus Ciceroni hæres. Vos ſceleris omnium teterrimi inſi- mulat: uobis labem fœdiſsimã turpiſsimamq́ asper git, tametſi uos amare, colere, obſeruareq́ ſimulet, nemini ingenuè amicus, omniũ laudi inimicus. Pro- deat in apertum tua Sadolete integritas, atque inno- centia. Eluceant laudati ab omnibus tui Bembe mo- res, & uita nullis flagitijs inquinata. an in uobis Cice- ronis aſſeclis redolebit paganitas? an in uobis religio nis contemptum olfaciet [redacted]? Hæc uobis ſuſpi tio nullo modo timenda eſt, quæ ſi in uos cadere poſ- ſet, amicorum exiſtimationem tueretur Eraſmus, non læderet, uir amoris, ut præſe fert, in uos multi. At enim inuidia & odio in Longolium flagrãs ad quem eloquentiæ laude accedere non potuit, cum religio- nis nomine ſuperare conatur. Illum paganitatẽ pro- feſſum ſcribit, ſub Ciceroniani nominis uelo. Lon- golio qui familiariter uſi ſunt, ſimile nullum de Longolio teſtimonium dicent, omnia ſancta & reli- gioſa de illo loquentur, bene moratum referent. Ac quoniam quid quisque de re quauis ſentiat, faci- le aut uultu aut ſermone disſimulatur, ſcriptisq́ nos ſæpius aperimus: quæ [redacted] edidit, quęquẽ à Lon golio relicta ſunt, iudicibus non ignaris legantur, diligen

Sadoletus.
Bembus.

diligenter ponderentur, ſeuerè examinentur. Nemo Eraſmi ſtilum mollem, muliebrem, puerilem, abſurdum, abſonum, perturbatum, diſcrepantem, præpoſterum, impolitum, incomptum, diſſolutum abiectumcꝫ non iudicabit. Longolium planè eloquẽtem affirmabunt omnes, illicꝫ non diſsimilem dicent, in cuius ſcriptis eſt ſtudioſè & multum uolutatus. Verùm nihil hæc ad religionis ſpecimẽ. Altera diſcutiantur parte [redacted] commentationes. Quibus, ut debet, diſplicet effrenata Lutheri audacia: quibus inuiſa eſt Lutheri ſecta, Lutherum ipſum ſub Eraſmi ſcriptis latêre, Eraſmum totum Lutheri uenenum exhalare aſſerent, necꝫ alia cauſa diſsimulanter & dubiè pleracꝫ locutũ illum, niſi ut, qua inuidia Lutherum oneratum uidebat, eam ſua diſsimulatione & dubio ancipiticꝫ in omnibus ſermone fugeret, conſuleretcꝫ ſuarum lucubrationum immortalitati, quas à plurimis, ſed à Gallis maximè, reiectum atcꝫ exploſum iri proſpiciebat, ſi eadem, quæ Lutherus, ſcripſiſſet. Sua nobis dicacitate & ſcurrilitate illudi poſſe ſperauit, eacꝫ per diſsimulationis cuniculos induci, quæ aperta reiecturi uidebamur. Iſta eſt Gallorum, Italorum, Britannorumcꝫ de Eraſmo ſententia atque opinio. Apud Germanos, & Lutheri partibus ſtudentes, eo eſt numero, quo ſcurra, ad inepta audax, pugnax, dicax: ad grauia & uera diſsimulans, tremens, imbecillis, locis quibuſdam minus, quàm uellent, Chriſtianus & pius, Longolio quid uſpiam excidit, quod uel

Quare Eraſmus non aperte ſcripſit, ut Lutherus.

Vt audit Eraſmus apud ſuos.

leuiſsimam aut dicacitatis, aut nimiæ audaciæ, aut inſolentiæ, aut erroris, aut impij animi ſuſpicionem commoueret? Perduellionis reus ſeſe Romæ defendit tanta modeſtia, tanta prudentia, ut accuſatorum criminationes tantùm diſſoluerit, neminẽ ſua oratione irritarit. Cauſam in Lutheranos dixit: quam forte obrem illum paganitatis accuſat Eraſmus, ei quòd charam ſeditioſorum nationem oppugnet. Hoc, credo, nomine paganitatis labem Longolio inurit. Sed litem hanc ſuam faciat: eam alij æſtimabunt Eraſmo ſaniores & religioſiores. Ad hæc, quatuor epiſtolarum libros reliquit, ubi quid impium? quid paganitati proximum? quid non chriſtianũ? Vocem unam, More, uel literam ex Longolij ſcriptis profer, quo inanem Eraſmi tui accuſationem adiuues atque corrobores: proſtant, uæneunt, omnibus nota ſunt. Grammaticis Eraſmi tui mancipijs da negotium, ut Longolium perlegant, omnia calumnientur, ut Eraſmo aſſententur: quid tandem renunciaturos putas? Id ſane, quod conſtat, Longolium nulla paganitatis macula contaminatum, chriſtianeq́; omnia loqui & ſcribere: impiè & inique flagitij ab Eraſmo inſimulari, à quo abeſt omnium maximè. Paganitatis uero & impietatis plenus eſt, qui probum & uere chriſtianum uirum in paganitatis ſuſpicionem adducere contendit. Nominis Ieſu ſuauitatem ſuauietur, Virginis matris ſimulacrum amplexetur: Petri, Pauli imaginem exoſculetur: apoſtolorum reliquias uene-

retur,

retur: ligno crucis, & crucifixo hæreat : sacris signis & diuorum statuis bibliothecam suam ornet: de theologia perpetuo garriat Erasmus, eum animo esse minimè omnium christiano, & omnium maximè impio, inuido, iniquo, sceleratoq; credam, qui tantopere omnibus detrahere, & cōuitia facere gestiat, qui usque adeo mendacijs oblectetur, qui tam insolenter petulans sit & dicax, qui defunctorũ famam non obscuret solum, sed impiorũ etiam nomen eis impingat. At his maledictis Longolius non inuidiosus est: detestabilis est, imbecillis, caducus Erasmi conatus. MO. Quî fit, ut, quibus Longolium lædi suspicere, ea durius accipias, & tam uehementer mouearis? VILL. Amici existimationem & laudem deprimi mihi non tam graue est, quanquam sit grauissimum, quàm illius mores ita ab Erasmo culpari, ut non solum uitæ innocentiam adimat, sed obiecto religionis contemptu, religionis fama clarum, inique maculet. Importunum est hoc etiam & indignum, ubi iuuentutem ridicule proposito uitæ periculo, ualetudinis perturbatione, ætatis dispendio, à Ciceronis imitatione reuocari non posse perspicit, illius lectione paganitatem contrahi scribere. Quis ad hanc impudentiam non cōmoueatur? quis illum non exagitet? quis conuicijs nō obruat? Agat uero, insaniat, inuidia & dolore dis- *Epilogus.*
rumpatur, garriat, balbutiat, deblateret, repuerascat; desipiat, eadem iterum atque iterum repetat, ante dicta sæpius inculcet, Ciceronis imitationem nouum

lepræ genus uocet, à Cicerone oratoris perfecti nomen abiudicet. Ciceronem ipsum multis [redacted] cis, uocalium hiatu deformem, redundantem, dissolutum, elumbem, gloriæ nimiùm appetentem, suarum laudum iactitantiorem, inconstantem, fide nulla, parum in quibusdam Ciceronianum, infeliciter uersus Græcos conuertere, mancum, mutilum, lacerum esse dicat: Ciceronem inimitabilem, Ciceronis nullum hodie esse usum uociferetur: Ciceronianorum tarditatem in componendo rideat, Ciceronianos omni parte laceret, Ciceronianos omnibus modis insectetur: quid aliud, quàm senis furias maniasq; securi spectabimus? quid aliud, quàm senis balbutie garrulitateq;, ut scurræ dicacitate, oblectabimur? Ciceronis diuinitatem nihilominus suspiciemus, illi nos nihilominus dedemus, nihilominus quisque cursum tenebit cœptum, ac Ciceroni similis fieri auebit, & contẽdet. Tu, quod reliquum est ex Erasmi ineptijs, recita. M O R. Restat tantùm, ut, quæ fert tum de antiquis, tum de nostræ uel paulo remotioris ætatis scriptoribus iudicia, si libet, audias. V I L. Isto labore supersede: facile per me in memoriã reuoco, quæ Erasmus iudicia, de antiquis scriptoribus, & æqualibus nostris tulit. Etenim locũ recognosco, q me, quũ datũ à te dialogũ percurrerem, plus cæteris offendit, quiq; plane Erasmi insolentiã, obtrectãdiq; cupiditatẽ indicauit. Nõ satis exactè Quintilianus de antiqs iudicarat, nisi accessisset [redacted] luculenti &

ti & audacis scriptoris, Theologi uerbosi, [redacted]ententia. Qui Ciceronem cane peius & angue odit, qui Ciceronem aspernatur, qui à Ciceronis lectione semper abhorruit, an antiqui Ciceronem referant, tanquam perpetuo in Cicerone uersatus, expendit. Patêre hoc loco illius insolentiam quis negarit? Patuit mox clarius obtrectandi cupiditas, cùm se ad recentiores scriptores contulit. Nihil attinebat Laurentij Vallæ, Pogij, Hermolai Barbari, Angeli Politiani, Georgij Trapezontij, Theodori Gazæ, Georgij Merulæ, Pomponij Læti, Philippi Beroaldi, Petri Criniti, Antonij Sabellici, Baptistæ Egnatij seculum uelut trutina examinare, & uirorum tam doctorum atque eruditorum ingenium literasq; audaci iudicio perpendere atque æstimare. Magni sunt & immortalitate digni, licet Ciceronis imitatione non celebres, ad quam si se totos composuissent, maiorem retulissent omnino laudem: quòd ab ea remoti sunt, non ideo abijciuntur aut negliguntur à doctis. Ad æquales nostros propero. Quid uiuorum scripta discussit, quid de ijs suam tulit sententiam, nisi ut nonnullis assentaretur, alijs inimicè detraheret? Laudat, fateor, ut par est, & minus forte, quàm eorum est doctrina atque eloquentia, Iacobum Sadoletum, Petrum Bembum, Ioannem Pinum, Nicolaum Beraldum, Lazarum Bayfium, Germanum Brixium, Franciscum Deloinum. Eos omnes modicè: quos amplius & mag[redacted]udari nemo ægre tulis-

A 3 set

ſet, aut aſſentatorium exiſtimaſſet. Sed nõ caret aſſentationis ſuſpitione, nonnullos ob fortu[redacted]tudinem, & accepta ab eis munera in numero doctorum ponere: nonnullos etiam ob neſcio quas præfationes hiſtorico alicui præfixas tantopere mirari & efferre, laude quidem non indignos, ſed Ciceronianorum nomen nec ambientes, nec ſperantes, Accurſij, Bartoliq́ꝫ ſordibus inquinatos. Inuidia uero & obtrectatione redundat, nec obſcurã maleuoli & iniqui animi ſignificationẽ refert, uirum, omniũ teſtimonio, tum Latinè tum Græcè doctiſsimum, Grammatico & uerſificatori miſcere atqꝫ adiũgere: uerſificatoris dotes pluribus uerbis explicare & prædicare, uiri omni doctrina atqꝫ eruditione cumulati ornamẽta & uirtutes ſilentio inuoluere, mentionem de illo leuẽ & frigidam facere. MOR. Non teneo, quem intelligas. VILL. Non tenere te gaudeo, ut illius nomen exprimendi mihi ſit argumentũ. MOR. Dic igitur. VIL. Gulielmus Budæus eſt, quo loquacitate tantùm & dictionis uolubilitate maior Eraſmus, quibus ſe ab illo lõge ſuperari ſenſit, eruditionis magnitudine, ſtili grauitate & pondere, Græcarũ literarũ cognitione, iudicij uehemẽtia, morũ candore, alijſq́ꝫ pluribus ornamentis, ea ſi tacitus præteriret, hominis tam illuſtris nomen obſcuratum iri ſperauit, & ſe ei apud poſteros præpoſitum: ac uerſificatorem illi antetulit, eam certè ob rem, cuius cauſam Gallus quidam doctiſsimus diſticho ſic expreſsit.

Gulielmus Budæus.

Deſine

Desine mirari quare post ponat [redacted]
Budæum Badio, plus fauet ille pari.

Distichon in [redacted]

Hoc te fateri oportet, si obtrectationis suspitione ~~Erasmum~~ liberare cupias, nisi forte obligatione adductum eum id fecisse dicas, quòd Lutetiæ à Badio splendidè & lautè, cum illic ageret, aliquando acceptus, illum re aliqua remunerare necesse habebat: neque fuisse, quo cumulatius obsonatori gratiam referret, quàm si grammaticum eo eruditionis gradu constitueret, in quo stat Budęus summo omnium applausu atque assensione: cui non soli, quæ potuit, detraxit [redacted], sed de Gallorum semper ingenijs ubiq; male sensit, & cum tulit occasio, datusq; est iudicandi locus, iniquè & maleuolè scripsit. Verùm habet Gallia, qui [redacted] re nulla cedant, facileq; illius impressiones sustineāt, & accepta uulnera, si uelint, ulciscantur, uberrimis ingenijs affluentes, ac quantum satis est ad scurræ dicacitatem reprimendam, doctrina & eloquentia instructi. MOR. Hactenus quieta fuit & sine stomacho nostra disputatio, tu uide, ne, quod inter nos à principio conuenît, à te modò negligatur, & ab instituto recedas, dum in [redacted] incenderis. Si quid superest, id ꝓsequamur potius. VIL. Superest plane nihil, nisi id, ꝙ & tibi & oībus persuasum uolui, unū nobis sectandū atq; imitandū Ciceronē, si uerbis usitatis & ꝓprie demonstrātibus significātibusq;, nō peregrinū sonātibus aut olentibus capimur, si delectū amamus, & rusticā insolentiā asperitatemq; fugimus,

[redacted] Gallorum ingenijs ubiq; inique sensit, & maleuole iudicauit.

ſi putidam uocum turbā uitare cupimus: ſi orationis lumen, non obſcuritatem & tenebras: ſi ſtili uenuſtatem, nō ruſticitatē: ſi dicendi genus nitidum, nō horridum: ſi plenum, non ieiunum: ſi diſtinctum & facile, nō implicatū: ſi uarium, non per omnia ſimile: ſi graue, non inane, & abiectum: ſi preſſum, æquabile, & leue, non uaſtū aut hiulcum quærimus. Itaq; hoc uiderint rectè inſtituti adoleſcentes, an meo utātur conſilio, an [redacted] omnes ſcriptores uagandum monentem audiant. Nos uero iam ſurgamus, quoniam probe animum relaxauimus, & cœnæ tēpus inſtat.

Annuit Morus, idq; eo libentius, ut ſe domi curaret, & quieſceret, ob uiæ moleſtiam & equitationē aliquantum perturbatus. Ea fuit noſtra poſt meridiem exercitatio. Tum in urbem reuerſi, Villanouani iuſſu Morum domum deduximus, & miſsi ab illo facti, domum quoq; abijmus. Non tantus meus fuit in his ſcribendis labor, mi Langiace, quāta mihi eſt cōſtantia & animi grauitate opus, ad excipiēda ſenis Bataui cōuitia, ſi morem ſuum ſeruet, & ſua in nos loquacitate utatur. Excādeſcet, combibones inducet, qui cruda plurima & male concocta in [redacted] euomant. Pungi grauiter feret, qui omnes ſtrenuè lacerauit: ſuū in literis ſacris ſtudiū & operā rideri grauiter patiet: huc illucq; ab eo cōmeabunt epiſtolæ, querelarum & expoſtulationū plenę. Frēdebit, minabit, ſuccēſebit, omnia detorquebit, & calūniabitur, laceſſet. Quid me facturū putas? conijcere te malo, q̄ hîc à me aperiri.

Errata.

Pag.18. lin.14. lege,numero
pag.19. lin.22. lege,mediastimis
pag.29. lin.2. lege,periteq́ & scienter
pag.ead. lin.5. lege,allusionem
pag.38. lin.3. lege,quos
pag.40. lin.19. lege,furat
pag.42. lin.ult. lege,scobas
pag.48. lin.18. lege,non ad quæstum scribendũ fuit
pag.51. lin.22. lege,uideor
pag.66. lin.22. lege,à proposito
pag.70. lin.14. deme tacitus, aut silentio, & ut uoles, legito,uel silentio prætereã,uel tacitus prætercam
pag.94. lin.14. lege,odiosæ
pag.95. lin.19. lege,imitationis
pag.96. lin.19. lege,illius
pag.103. lin.25. lege obscœnitatem
pag.109. lin.25. lege,quàm
pag.113. lin.6. lege,antestarem
pag.147. lin.19. lege,progrediatur:
pag.164. lin.7. lege,quò aspirauit
pag.165. lin.16. lege,abductum.
pag.170. lin.8. deme. V I L L.

[redacted] IAMBICVM monocolon, ad Iacobum Roſtagnum adoleſcentem optimum, & amicum ſuauiſsimum.

Sup. pag. 148.


Naturam non minus nunc felicem & potentem ferendis præclaris ingenijs, quàm quondam fuit: ſed qui feliciter nati ſunt, aut uoluptate implicati, aut parentum auaritia ab humanioribus ſtudijs ad quæſtuoſas arteis prima adoleſcentia reuocati, aut laboris plus ſatis fugientes, aut paupertate, & rerum inopia preſsi, ad antiquorum laudem non aſpirant, iacentq́ ignobiles.

CARMEN.

Effœta non plus eſt, uel ingenijs inops
Natura, quàm quondam fuit, miracula
Dum rara quædam hominum, uelut ſuperbiens
Sua potentia necnon inexhauſto ſinu,
Fundebat ultro: ſed quibus feliciter
Naſci dat, & largitur amplè uiuidos
Acreisq́ ſenſus, atquè non agreſtem animum,
Aut plus ſatis molles liqueſcunt, & fluunt
Luxu & uoluptate: aut patrum cupidine
Cæca, à bonis & ſuauioribus ſtudijs
Ignobiles trahuntur ad arteis, ſimul


Vt prima tantùm elementa uix norint bene:
Quo fit quidem ut, ſicut lolio ſterili nimis,
Lappisq; auenaq; enecatur lactea'
Seges, iuuentus ſic cadat mox obruta.
Sunt, quos item terret labor, quo Palladis
Scandendus eſt mons, mons uia haud ita breui,
Die nec uno aut altero cuiuis patens.
Sunt, quos ſupellex curta, egeſtasq; opprimit
Et ſpiritus uetat per altum tollere.
Dirum malum, peſtisq; egeſtas peſsima,
Quæ ſpiritus uetat per altum tollere.

STEPH. DOLETVS, IACOBO ROSTAGNO, S.



ONSVETVDINE magis & officio adductus, quàm quod opus esse existimarem, id ad te literarum dedi. Itaque tantam meam in scribendo diligentiam sedulitatemq́ꝫ & proba, & lauda, noui nihil à me in præsentia expecta: rumor enim quisquis hic increbruit, iam raucus factus est, neque, quod scribam, occurrit. Scæuam nostrum saluta meis uerbis diligenter, atqꝫ illi insta, ut, quẽ à me accepit de Imitatione Ciceroniana dialogum, eum quàm castigatissime excudendum à Gryphio curet. Meos Latinæ locutionis commentarios breui istuc mittam: qui ut caracteribus elegantissimis excusi, & emendatissimi exeant, dabis cum Scæua operam.

Vale. Lutetiæ, pridie calendas Ianuarias.



EIVSDEM, AD EVNDEM, MO
nocolon iambicum archilochium.
CARMEN.

Id quod decenter factitant homines belli,
Vt, quod uolunt munus dare, illud omnino
Dent,quod sciunt illi futurum tum gratum,
Tum suaue,tum mirè expetitum,cui mittunt:
Hoc hercle nunc facio libens,&,quod spero
Tibi futurum gratum & acceptum,dono:
Nam quem scio nullis capi donis tantùm,
Quantùm canoro carmine,& non insulso
Versu,saluto uersibus te Rostagne
Musarum alumne suauiorum Rostagne:
Ac id tibi precor sub hunc ineuntem annum,
Vt lætus æterna fruaris ætate,
Et omnia ex sententia tibi cedant.
Tu fac boni æqui consulas meum hoc munus,
Ac singulare exosculeris nostrum in te
Studium,& uoluntatem tibi usq; adeo addictam:
Vel,quod decenter factitant homines belli,
Pro literario meæ musæ dono
Mitte aureum non pondere leui,at ingenti.
Sic,quod decenter factitant homines belli,
Vt quod uolunt munus dare,illud omnino
Dent,quod sciunt illi futurum tum gratum,
Tum suaue,tum mirè expetitum,cui mittunt:
Hoc hercle tu facies,dabisq; tum gratum,
Tum dulce,& in primis mihi optatum munus.

